



FORUM RŌMĀNUM

INITIUM

A FIRST LATIN COURSE ON THE DIRECT
METHOD, TO WHICH IS APPENDED A
BOOK OF EXERCISES AND SOME
GRAMMAR QUESTIONS

BY

R. B. APPLETON, M.A.

CHIEF CLASSICAL MASTER AT THE
PERSE SCHOOL

SECOND EDITION, REVISED

Non invisa feres pueris munuscula parvis

HORACE

CAMBRIDGE
AT THE UNIVERSITY PRESS

1926

First Edition 1916
Second Edition 1926

PRINTED IN GREAT BRITAIN

PREFACE TO THE FIRST EDITION

THIS book is intended for Latin beginners who have spent a fortnight on purely oral work without seeing any text-book. How the preliminary lessons are conducted will be found in the "Teacher's Companion to *Initium*" published along with this volume.

The sections mark stages in the work, not separate lessons. The division into lessons must be made by the teacher himself so as to suit the peculiar needs of his class.

R. B. A.
W. H. S. J.

1 *January* 1916

PREFACE TO THE SECOND EDITION

THIS book is now in four parts: narrative, grammar, sentences, and grammar papers.

The First Part. Sections I, II, IV, VIII, XII, XVI and XVII of the narrative are new, and will—it is hoped—provide an easier method of approach to the mastery of elementary Latin, than did the sections which they displace. The change has been made as the result of further class-room experience, which showed the need both of simplification and of amplification. Nothing need here be said about this new material, except that the teacher will, of course, take care that the class contains the names required by the second of the simple dialogues, with which the book now opens.

An attempt has been made, in the additional exercises inserted in the body of the text, to provide the teacher with a little more guidance than was given in the first edition. Much oral work¹ should accompany the reading of the text, and a great deal must necessarily be left to the initiative of the individual teacher. The present edition tries to steer midway between the fault of stereotyping things to such an extent that they become dull, and the equally grave fault—of which the first edition was guilty—of failing to give sufficient guidance to the teacher.

Experience shows the necessity of insisting upon the importance of oral work in teaching on direct method lines. The early dialogues in this book should be run through orally before being read; they are really included in the book only as an indication of the sort of oral work recom-

¹ This is fully described in *Latin on the Direct Method*, by W. H. D. Rouse and R. B. Appleton (London Univ. Press), 7s. 6d. net.

mended. And throughout the course new points should be introduced orally before they are encountered in the text. For example, on page 20 the present participle is introduced for the first time by the following example:

{ Mārcus lūdit.
{ Mārcum lūdentem videō.

But, of course, the efficient direct method teacher will avail himself of what he actually sees before his eyes in his own class-room. This may seem a small point, but it is an important principle of the direct method.

The Second Part contains, as before, a conspectus of the grammar used in the narrative. It is assembled here for convenience of reference and of revision, though it is also inserted at the end of each section of the narrative that the teacher may readily see what grammar has to be known at the different stages. Except for the correction of an oversight this part of the book is the same as in the first edition.

The Third Part consists of English sentences to be turned into Latin, and is new. The occasional use of such sentences is advisable even for those teaching on the direct method, while they are essential for all who, owing to the necessity of preparing for some such examination as the School Leaving Certificate, find themselves bound to use only a modified oral method. It is hoped that the addition of this part will enable the book to be used by those who found the first edition unsuited to their needs.

The sentences are very carefully graded, using only the grammar and the vocabulary of the section under which they are grouped. When the section contains new grammar Exercises A and B practise nothing but the new point, while C and D mingle this with points previously learnt.

PLATES

Forum Rōmānum	FRONTISPIECE
Lītus	<i>to face page</i> 27
Eques equitat	31
Mīlītēs Rōmānī	40
Militēs oppidum obsident	55
Athēnae	59

PARS PRĪMA

NĀRRĀTIŌ

I

DIALOGUS DĒ CORPORE

Dēclīnātiō secunda. Cāsus nōminātīvus et accūsātīvus.

M. = magister. D. = discipulus.

M. Hīc est nāsus. Quid est?

D. Nāsus est.

M. Nāsum tangō. Quid tangō?

D. Nāsum tangis.

M. Hīc est oculus. Quid est?

D. Oculus est.

M. Oculum tangō. Quid tangō?

D. Oculum tangis.

M. Hīc est capillus. Quid est?

D. Capillus est.

M. Quid tangō?

D. Capillum tangis.

M. Hīc est digitus. Quid est?

D. Digitus est.

M. Quid ērigō?

D. Digitum ērigis.

M. Quid premō?

D. Digitum premis.

M. Hī sunt oculī. Quī sunt?

D. Oculī sunt.

M. Oculōs claudō. Quid claudō?

D. Oculōs claudis.

M. Quid aperiō?

D. Oculōs aperis.

M. Hī sunt digitī. Quī sunt?

D. Digitī sunt.

M. Quid ērigō?

D. Digitōs ērigis.

M. Quid premō?

D. Digitōs premis.

M. (*ūnum modo ērigēns*). Quid nunc ērigō?

D. Digitum ērigis.

M. Quid premō?

D. Digitum premis.

M. Quī sunt hī?

D. Digitī sunt.

M. Quid ērigō?

D. Digitōs ērigis.

M. Quid est hīc?

D. Digitus est.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat; deinde puer quidam partes magistri agit et omnes iterum respondent, primo cum libris, deinde sine libris.

EXERCITATIO

Haec nōmina ante verbum *videō* aut dīcite aut scrībite.

Exemplum: magister.

puerī multī.

magistrum videō.

puerōs multōs videō.

nāsus māgnus; oculī caeruleī; capillus longus; digitī sordidī; liber parvus; librī māgnī; nāsī longī; oculus niger; digitus medius; discipulus stultus; discipulī stultī; magister doctus; magistrī doctī; puer parvus; puerī parvī; libellus ruber; libellī rubrī; digitus minimus; digitī minimī; stomachus rotundus; stomachī rotundī.

DIALOGUS DĒ DISCIPULĪS

Dēclīnātiō secunda, cāsus genitīvus et datīvus.

- M.* Mārcī libellus est. Cūius est libellus?
- D.* Mārcī est libellus.
- M.* Mārce, cape libellum tuum. Cūius libellum capit Mārcus?
- D.* Suum libellum capit Mārcus.
- M.* Mārce, Sextō libellum tuum dā. Cui Mārcus libellum suum dat?
- D.* Sextō Mārcus libellum suum dat.
- M.* Quis libellum suum Sextō dat?
- D.* Mārcus libellum suum Sextō dat.
- M.* Quis libellum Mārcī capit?
- D.* Sextus libellum Mārcī capit.
- M.* Cūius libellum capit Sextus?
- D.* Mārcī libellum capit Sextus.
- M.* Quīnte, tange capillum Decimī. Cūius capillum tangit Quīntus?
- D.* Decimī capillum tangit Quīntus.
- M.* Quis Decimī capillum tangit?
- D.* Quīntus Decimī capillum tangit.
- M.* Quid tangit Quīntus?
- D.* Capillum Decimī tangit Quīntus.
- M.* Sexte, cape libellum Mārcī et Quīntō dā. Cūius libellum capit Sextus?
- D.* Mārcī libellum capit Sextus.
- M.* Cui Sextus libellum Mārcī dat?
- D.* Quīntō Sextus libellum Mārcī dat.
- M.* Quid Sextus Quīntō dat?
- D.* Libellum Mārcī Sextus Quīntō dat.
- M.* Cūius libellum Sextus Quīntō dat?
- D.* Mārcī libellum Sextus Quīntō dat.
- M.* Quis libellum Mārcī Quīntō dat?
- D.* Sextus libellum Mārcī Quīntō dat.

M. Libellōs discipulōrum colligō. Quid colligō?

D. Libellōs discipulōrum colligis.

M. Quōrum libellōs colligō?

D. Discipulōrum libellōs colligis.

M. Discipulīs libellōs distribuō. Quibus libellōs distribuō?

D. Discipulīs libellōs distribuis.

M. Quid discipulīs distribuō?

D. Libellōs discipulīs distribuis.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat. Mox discipulus quidam partes magistri agit, et omnes iterum respondent, primo cum libris, deinde sine libris.

DIALOGUS DĒ CELLĀ

Dēclīnātiō prīma. Cāsus nōminātīvus et accūsātīvus.

M. Decime, aperī iānuam. Quid Decimus aperit?

D. Iānuam aperit Decimus.

M. Quis iānuam aperit?

D. Decimus iānuam aperit.

M. Haec est crēta. Quid est?

D. Crēta est.

M. Cape crētam, Sexte, et Mārcō dā. Quis crētam capit?

D. Sextus crētam capit.

M. Quid est id quod Sextus capit?

D. Crēta est id quod Sextus capit.

M. Cuī crētam dat Sextus?

D. Mārcō crētam dat Sextus.

M. Quid Mārcō Sextus dat?

D. Crētam Mārcō Sextus dat.

M. Mārce, claude fenestram. Quis fenestram claudit?

D. Mārcus fenestram claudit.

M. Quid claudit Mārcus?

D. Fenestram claudit Mārcus.

M. Quid est id quod Mārcus claudit?

D. Fenestra est id quod Mārcus claudit.

M. Fenestra nunc est clausa. Quālis est fenestra?

D. Clausa est fenestra.

M. Quīnte, tange fenestram clausam. Quis fenestram clausam tangit?

D. Quīntus fenestram clausam tangit.

M. Quid tangit Quīntus?

D. Fenestram tangit Quīntus.

M. Quālem fenestram tangit Quīntus?

D. Clausam fenestram tangit Quīntus.

M. Crēta est alba. Quālis est crēta?

D. Alba est crēta.

M. Quid tollō?

D. Crētam tollis.

M. Quālem crētam tollō?

D. Albam crētam tollis.

M. Sexte, spectā fenestrās. Quis fenestrās spectat?

D. Sextus fenestrās spectat.

M. Quid spectat Sextus?

D. Fenestrās spectat Sextus.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat. Postea discipulus quidam partes magistri agit, et omnes iterum respondent; primo cum libris, deinde sine libris.

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* aut *dīcite* aut *scrībite* haec nōmina: crēta alba; fenestrae apertae; nāsus longus; iānua clausa; iānuae clausae; digitī multī; digitus ūnus; mēnsa alta; mēnsae altae; tabula nigra; tabulae nigrae; magister benīgnus; magistrī benīgnī; iānua aperta; iānuae apertae; comae nigrae; rosa pulchra; rosae pulchrae; puer parvus; puella parva; puerī parvī; puellae parvae.

DIALOGUS DĒ ALIIS MEMBRIS CORPORIS

*Dēclīnātiō tertiā. Cāsus ablātīvus.**M.* Quae sunt membra corporis?*D.* Digitus, oculus, nāsus sunt membra corporis.*M.* Bene respondēs. Quid nāsō facimus?*D.* Olfacimus nāsō.*M.* Quō instrūmentō olfacimus?*D.* Nāsō olfacimus.*M.* Quid nāsō olfacimus?*D.* Odōrem nāsō olfacimus.*M.* Quālem odōrem nāsō olfacimus?*D.* Bonum odōrem et malum nāsō olfacimus.*M.* Quot habēs oculōs?*D.* Duōs habeō oculōs.*M.* Quid oculīs facis?*D.* Videō oculīs.*M.* Quibus instrūmentīs vidēs?*D.* Oculīs videō.*M.* Quid oculīs vidēs?*D.* Discipulōs et magistrum oculīs videō.*M.* Quot discipulōs et quot magistrōs oculīs vidēs?*D.* Multōs discipulōs et ūnum magistrum oculīs videō.*M.* Quot digitōs habēs?*D.* Decem digitōs habeō, quīnque ā sinistrā et quīnque ā dextrā.*M.* Quid facis digitīs?*D.* Stilum et libellum digitīs teneō.*M.* Quibus instrūmentīs stilum et libellum tenēs?*D.* Digitīs stilum et libellum teneō.*M.* Aurēs et pēs et ōs sunt alia corporis membra. Quae sunt alia corporis membra?*D.* Aurēs et pēs et ōs sunt alia corporis membra.*M.* Quot habēs aurēs?

- D.* Duās habeo aurēs.
M. Quid facis auribus?
D. Audiō auribus.
M. Quibus instrūmentīs audīs?
D. Auribus audiō.
M. Quid auribus audīs?
D. Sonum auribus audiō.
M. Quot habēs pedēs?
D. Duos habeo pedēs.
M. Quid facis pedibus?
D. Ambulō pedibus.
M. Quibus instrūmentīs ambulās?
D. Pedibus ambulō.
M. Et quid ore facimus?
D. Edimus ore.
M. Quid in ore est?
D. In ore est lingua, et dentēs.
M. Quid linguā facimus?
D. Respondēmus linguā.
M. Quō instrūmentō respondēmus?
D. Linguā respondēmus.
M. Quid dentibus facimus?
D. Mordēmus dentibus.
M. Quibus instrūmentīs mordēmus?
D. Dentibus mordēmus.
M. Quid dentibus mordēmus?
D. Cibum dentibus mordēmus.
M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat; deinde puer quidam partes magistri agit et omnes iterum respondent, primo cum libris, deinde sine libris.

10 DIALOGUS DE ALIIS MEMBRIS CORPORIS

ARS GRAMMATICA

Adiectivum

<i>Singulāriter.</i>	<i>M.</i>	<i>F.</i>	<i>N.</i>
<i>Nōm.</i>	parvus	parva	parvum
<i>Voc.</i>	parve	parva	parvum
<i>Acc.</i>	parvum	parvam	parvum
<i>Gen.</i>	parvī	parvae	parvī
<i>Dat.</i>	parvō	parvae	parvō
<i>Abl.</i>	parvō	parvā	parvō
<i>Plūrāliter.</i>			
<i>Nōm.</i>	parvī	parvae	parva
<i>Voc.</i>	parvī	parvae	parva
<i>Acc.</i>	parvōs	parvās	parva
<i>Gen.</i>	parvōrum	parvārum	parvōrum
<i>Dat.</i>	parvis	parvis	parvis
<i>Abl.</i>	parvis	parvis	parvis

Nōmina

<i>Singulāriter.</i>	<i>II (m).</i>	<i>I (f).</i>	<i>II (n).</i>
<i>Nōm.</i>	libellus	fenestra	verbum
<i>Voc.</i>	libelle	fenestra	verbum
<i>Acc.</i>	libellum	fenestram	verbum
<i>Gen.</i>	libellī	fenestrae	verbī
<i>Dat.</i>	libellō	fenestrae	verbō
<i>Abl.</i>	libellō	fenestrā	verbō
<i>Plūrāliter.</i>			
<i>N. V.</i>	libellī	fenestrae	verba
<i>Acc.</i>	libellōs	fenestrās	verba
<i>Gen.</i>	libellōrum	fenestrārum	verbōrum
<i>Dat.</i>	libellis	fenestrīs	verbīs
<i>Abl.</i>	libellis	fenestrīs	verbīs

Cassius, *voc.* Cassī, *gen.* Cassiī

DIALOGUS DE ALIIS MEMBRIS CORPORIS 11

Dēclīnātiō Tertia

pēs, pedis (*m.*). corpus, corporis (*n.*).

Singulāriter.

<i>N.V.</i>	pēs	corpus
<i>Acc.</i>	pedem	corpus
<i>Gen.</i>	pedis	corporis
<i>Dat.</i>	pedī	corporī
<i>Abl.</i>	pede	corpore

Plūrāliter.

<i>N.V.</i>	pedēs	corpora
<i>Acc.</i>	pedēs	corpora
<i>Gen.</i>	pedum	corporum
<i>Dat.</i>	pedibus	corporibus
<i>Abl.</i>	pedibus	corporibus

Modus Imperātīvus

	I	II	III	IV
<i>Sing.</i>	pulsā	sedē	surge	aperī
<i>Plūr.</i>	pulsāte	sedēte	surgite	aperīte

EXERCITATIONES

1. Quō instrūmentō olfacimus?
2. Quibus instrūmentīs vidēmus?
3. Quot digitōs habēs?
4. Quibus instrūmentīs audīmus?
5. Quid facimus pedibus?
6. Quō instrūmentō respondēmus?
7. Quibus instrūmentīs mordēmus?
8. Quot pedēs habēs?
9. Quot aurēs habēs?
10. Quot capita habēs?

Adde partēs vocūbulōrum omīssās.

1. Digit—, ocul—, nās— sunt membra corporis.
2. Odōr— nāsō olfacimus.

12 DIALOGUS DE ALIIS MEMBRIS CORPORIS

3. Bon— odōr— et mal— nāsō olfacimus.
4. Du— habeō oculōs.
5. Ambulō ped—.
6. In ōr— est lingua, et dentēs.
7. Cībum dent— mordēmus.
8. Aur— audīmus.
9. Mult— discipulōs et ūn— magistrum ocul— videō.
10. Ben— respondēs.

II

DIALOGUS DĒ PRŌNŌMINE RELĀTĪVŌ

- M.* Quis est discipulus quī bene intellegit?
- D.* Mārcus est discipulus quī bene intellegit.
- M.* Quis est discipulus quem laudō?
- D.* Mārcus est discipulus quem laudās.
- M.* Quī sunt discipulī quī bene possunt intellegere?
- D.* Eī bene possunt intellegere quī animum semper attendunt.
- M.* Quī sunt discipulī quōs reprehendō?
- D.* Discipulī quōs reprehendis animum nōn attendunt.
- M.* Quis est discipulus cūius librum teneō?
- D.* Quīntus est discipulus cūius librum tenēs.
- M.* Quī sunt discipulī quōrum capita tangō?
- D.* Mārcus et Sextus sunt discipulī quōrum capita tangis.
- M.* Quis est discipulus cui librum dō?
- D.* Mārcus est discipulus cui librum dās.
- M.* Quī sunt eī quibus chartam distribuō?
- D.* Discipulī sunt eī quibus chartam distribuis.
- M.* Quid est haec quam digitīs teneō?
- D.* Crēta est quam digitīs tenēs.
- M.* Quid est instrūmentum quō scribimus?
- D.* Stilus est instrūmentum quō scribimus.
- M.* Quae sunt membra corporis quibus ambulāmus?
- D.* Pedēs sunt membra corporis quibus ambulāmus.
- M.* Vidētisne fenestrās quae sunt apertae?

D. Vidēmus fenestrās quae sunt apertae.

M. Quālēs sunt fenestrae quās vidētis?

D. Apertae sunt fenestrae quās vidēmus.

M. Ubi sunt arborēs quārum frondēs cadunt?

D. In hortō sunt arborēs quārum frondēs cadunt.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat. Mox discipulus quidam partes magistri agit et omnes iterum respondent, primo cum libris, deinde sine libris.

EXERCITATIONES

Adde vocābulum omīssum.

1. Lectus est id in — dormīmus.
2. Puer — praemium dō bene respondet.
3. Puer — spectō est Mārcus.
4. Discipulī — libellōs teneō sunt Mārcus et Sextus.
5. Discipulī — libellōs dō sunt Mārcus et Sextus.
6. Puer — caput pulsō est Decimus.
7. Puer — hōc mihi dedit est Pūblius.
8. Puerī — praemia dō sunt bonī discipulī.
9. Puellās — videō nōn amō.
10. Membrum — olfacimus est nāsus.

Cōniunge hās bīnās sententiās.

1. Liber est ruber; eum teneō.
2. Titus est puer; Titus artem grammaticam nōn amat.
3. Fenestrās spectāmus; fenestrae sunt apertae.
4. Mārcus est discipulus: praemium eī dō.
5. Orbilius est magister; Titus est discipulus Orbiliī.
6. Cassius et Brūtus sunt Rōmānī; eōrum linguam discimus.
7. Scūtum et gladius sunt arma; ea fert miles.
8. Hominēs spectō; eī sunt militēs.
9. Vōs bonī estis discipulī; vōbīs librōs dō.
10. Nōs magister docet; sapientēs sumus.

14 DIALOGUS DE PRONOMINE RELATIVO

ARS GRAMMATICA

Prōnōmina.

	<i>M.</i>	<i>F.</i>	<i>N.</i>	<i>M.</i>	<i>F.</i>	<i>N.</i>
<i>Singulāriter.</i>				<i>Plūrāliter.</i>		
<i>Nōm.</i>	is	ea	id	eī	eae	ea
<i>Acc.</i>	eum	eam	id	eōs	eās	ea
<i>Gen.</i>	ēius	ēius	ēius	eōrum	eārum	eōrum
<i>Dat.</i>	eī	eī	eī	eīs	eīs	eīs
<i>Abl.</i>	eō	eā	eō	eīs	eīs	eīs
<i>Singulāriter.</i>				<i>Plūrāliter.</i>		
<i>Nōm.</i>	hīc	haec	hōc	hī	hae	haec
<i>Acc.</i>	hunc	hanc	hōc	hōs	hās	haec
<i>Gen.</i>	hūius	hūius	hūius	hōrum	hārum	hōrum
<i>Dat.</i>	huīc	huīc	huīc	hīs	hīs	hīs
<i>Abl.</i>	hōc	hāc	hōc	hīs	hīs	hīs
<i>Singulāriter.</i>				<i>Plūrāliter.</i>		
<i>Nōm.</i>	ille	illa	illud	illī	illae	illa
<i>Acc.</i>	illum	illam	illud	illōs	illās	illa
<i>Gen.</i>	illīus	illīus	illīus	illōrum	illārum	illōrum
<i>Dat.</i>	illī	illī	illī	illīs	illīs	illīs
<i>Abl.</i>	illō	illā	illō	illīs	illīs	illīs
<i>Singulāriter.</i>				<i>Plūrāliter.</i>		
<i>Nōm.</i>	quī	quae	quod	quī	quae	quae
<i>Acc.</i>	quem	quam	quod	quōs	quās	quae
<i>Gen.</i>	cūius	cūius	cūius	quōrum	quārum	quōrum
<i>Dat.</i>	cuī	cuī	cuī	quibus	quibus	quibus
<i>Abl.</i>	quō	quā	quō	quibus	quibus	quibus
<i>Singulāriter.</i>				<i>Plūrāliter.</i>		
<i>Nōm.</i>	ipse	ipsa	ipsum	ipsī	ipsae	ipsa
<i>Acc.</i>	ipsum	ipsam	ipsum	ipsōs	ipsās	ipsa
<i>Gen.</i>	ipsīus	ipsīus	ipsīus	ipsōrum	ipsārum	ipsōrum
<i>Dat.</i>	ipsī	ipsī	ipsī	ipsīs	ipsīs	ipsīs
<i>Abl.</i>	ipsō	ipsā	ipsō	ipsīs	ipsīs	ipsīs

Singulāriter.

Plūrāliter.

<i>Nōm.</i>	alius	alia	aliud	aliī	aliae	alia
<i>Acc.</i>	aliū	aliā	aliud	aliōs	aliās	alia
<i>Gen.</i>	(aliūs	aliūs	aliūs)	aliōrum	aliārum	aliōrum
<i>Dat.</i>	aliī	aliī	aliī	aliīs	aliīs	aliīs
<i>Abl.</i>	aliō	aliā	aliō	aliīs	aliīs	aliīs

Singulāriter.

Plūrāliter.

<i>Nōm.</i>	alter	altera	alterum	alterī	alterae	altera
<i>Acc.</i>	alterum	alteram	alterum	alterōs	alterās	altera
<i>Gen.</i>	alterius	alterius	alterius	alter-	alter-	alter-
				[ōrum	[ārum	[ōrum
<i>Dat.</i>	alterī	alterī	alterī	alterīs	alterīs	alterīs
<i>Abl.</i>	alterō	alterā	alterō	alterīs	alterīs	alterīs

Singulāriter.

Plūrāliter.

<i>Nōm.</i>	īdem	eadem	īdem	eīdem	eaedem	eadem
<i>Acc.</i>	eundem	eandem	īdem	eōsdem	eāsdem	eadem
<i>Gen.</i>	ēiusdem	ēiusdem	ēiusdem	eōrun-	eārun-	eōrun-
				[dem	[dem	[dem
<i>Dat.</i>	eīdem	eīdem	eīdem	eīsdem <i>vel</i> īsdem		
<i>Abl.</i>	eōdem	eādem	eōdem	eīsdem <i>vel</i> īsdem		

III

DĒ DISCIPULĪS

Mārcus. Pater meus est miles; pūgnat et patriam contrā hostēs dēfendit; fortior est tuō patre.

Sextus. Sed sapientior est pater meus, et frāter mihi est audācior patre tuō.

Manlius. Avunculus meus omnium est audācissimus.

Decimus. Sed sapientior est patruus meus; Graecam linguam intellegit.

Quīntus. Quid autem dē necessāriīs? Alius aliō prūdentior vel audācior; quis iūdicāre potest? Sed dē nōbīs ipsīs facile est iūdicāre. Quīn compa-

rāmus? Uter prōcērior est? [*Alter alteri statūram suam comparat.*]

Mārcus. Prōcērior sum Quīntō.

Manlius. Sed ego prōcērior quam Mārcus.

Sextus. Ego autem Manliō prōcērior sum.

Decimus. Et ego tē prōcērior sum, Sexte.

Sextus. Ita enim vērō. Nōn equidem invidēō. Sapientior saltem sum; mēns corpori praestat. Aenigmata audīte, et solvere temptāte. Primum audīte aenigma.

“Seu mea membra legis dextrōrsum, callide lēctor,
sive sinistrōrsum, semper habēs eadem.
māxima sum nāvī spēs, et fortūna colōnī,
dē mē, dum crēscō, supplicat ille deō.”

Potesne solvere, Manlī?

Manlius. Minimē. Mārcum rogā. Ille mē est sapientior.

Mārcus. Manliō fortāsse sapientior sum, sed nōn possum hōc solvere. Quīntum rogā; ille multō sapientior est quam ego.

Quīntus. Nōn difficile est solvere. Est SEGES.

Sextus. Macte virtūte! Omnium sapientissimus es, Quīnte.

Quīntus. Sumne sapientior quam tū, Sexte?

Sextus. Ego nesciō. Aenigma nōbīs dīc.

Quīntus. Audīte igitur.

“Sum māgnō quī caelum umerīs mōlīmine portō;
vertis mē, sum fōrma iubēns intrāre chorēās.”

Sextus. Difficilius est meō aenigmate. Solvere nōn possum.

Omnēs. Dīc nōbīs respōnsum, Quīnte. Sapientior es Sextō.

Quīntus. Nōn ita difficile est. ATLĀS est respōnsum.

Sextus. Ego nōn intellegō.

Mārcus. Ō pudor! Stultior es nōbīs, Sexte. Nōnne Atlās caelum umerīs portat? et sī ATLĀS vertis fit verbum SALTĀ.

*Spectate carmen de colono in pagina centesima
tricesima quarta.*

EXERCITATIO


1. Quōmodo pater Mārcī fortior est Sextī patre?
 2. Quōmodo patruus Decimī sapientior est aliīs?
 3. Quis prōcērior est Mārcō?
 4. Quis sapientior est Manliō?
 5. Cūius aenigma difficilior est quam Sextī aenigma?
- Adde partēs vocābulōrum omīssās.*
6. Stultior es nō—, Sexte.
 7. Tū sapientior es Sext—.
 8. Difficilior est me— aenigmat—.
 9. Alius ali— prūdentior vel audāc— est.
 10. Magister est omnium sapient—.

ARS GRAMMATICA

<i>Gradus positīvus.</i>	<i>Gradus comparātīvus.</i>		<i>Gradus superlātīvus.</i>	
altus	altior		altissimus	
fortis	fortior		fortissimus	
audāx	audācior		audācissimus	
sapiēns	sapientior		sapientissimus	
difficilis	difficilior		difficillimus	
	<i>Singulāriter.</i>		<i>Plūrāliter.</i>	
	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>
<i>N.V.</i>	omnis	omne	omnēs	omnia
<i>Acc.</i>	omnem	omne	omnēs	omnia
<i>Gen.</i>	omnis		omnium	
<i>D.Abl.</i>	omnī		omnibus	
	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>
<i>N.V.</i>	sapiēns	sapiēns	sapientēs	sapientia
<i>Acc.</i>	sapientem	sapiēns	sapientēs	sapientia
<i>Gen.</i>	sapientis		sapientium	
<i>D.Abl.</i>	sapientī		sapientibus	

	<i>Singulāriter.</i>		<i>Plūrāliter.</i>	
	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>	<i>M.F.</i>	<i>N.</i>
<i>N.V.</i>	altior	altius	altiōrēs	altiōra
<i>Acc.</i>	altiōrem	altius	altiōrēs	altiōra
<i>Gen.</i>	altiōris		altiōrum	
<i>Dat.</i>	altiōrī		altiōribus	
<i>Abl.</i>	altiōre		altiōribus	

possum
potes
potest
possumus
potestis
possunt



IV

DIALOGUS DĒ MĪLTE

- M.* Spectā mīlitem. Quid dextrā tenet?
D. Pīlum dextrā tenet.
M. Ubi pīlum tenet?
D. Dextrā pīlum tenet.
M. Quid dextrā facit?
D. Tenet pīlum dextrā.
M. Quid sinistrā tenet?
D. Scūtum sinistrā tenet.
M. Ubi scūtum tenet?
D. Sinistrā scūtum tenet.
M. Quid sinistrā facit?
D. Tenet scūtum sinistrā.
M. Quid dē balteō mīlitis pendet?
D. Gladius dē balteō mīlitis pendet.
M. Quid in capite gerit?
D. Galeam in capite gerit.
M. Ubi est galea?
D. In capite mīlitis est galea.
M. Quid facit galea?
D. Dēfendit caput mīlitis galea.
M. Quid pectus dēfendit?
D. Lōrica pectus dēfendit.
M. Brācae crūra mīlitis tegunt. Quid crūra mīlitis tegit?
D. Brācae crūra mīlitis tegunt.
M. Quid tegunt brācae?
D. Crūra mīlitis tegunt brācae.
M. Quid pedēs mīlitis tegit?
D. Caligae pedēs mīlitis tegunt.
M. Quid scūtō facit mīles?

D. Volnera ā corpore mīles scūtō arcet.

M. Quid pīlō et gladiō facit?

D. Pūgnat pīlō et gladiō; hostēs volnerat et interficit.

M. Quid aliud?

D. Patriam dēfendit.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēte.

Magister eadem iterum interrogat. Deinde discipulus quidam partes magistri agit, et omnes iterum respondent, primo cum libris, deinde sine libris.

PARTICIPIUM PRAESENS

Participium praesēns quattuor cōniugātiōnum est:

I	II	III	IV
-āns, -antis	-ēns, -entis	-ēns, -entis	-iēns, -ientis

Dēclīnā ut adiectīvum *sapiēns*, nisi quod cāsus ablātīvus est -e. Hōc participium praesēns necesse est dīcere si tōtam sententiam ante verbum *videō* dīcere volumus.

Exempla:

- { Mārcus lūdit.
- { Mārcum lūdentem videō.
- { Brūtus ambulat.
- { Brūtum ambulāntem videō.
- { Magister docet.
- { Magistrum docentem videō vel audiō.
- { Puer fenestram aperit.
- { Puerum fenestram aperientem videō.

Et plūrāliter:

- { Discipulī discunt.
- { Discipulōs discentēs videō.
- { Puerī clāmānt.
- { Puerōs clāmāntēs audiō.

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* (vel *audiō*) aut dīcite aut scribite haec: Quīntus clāmat; mīles pūgnat; mīles armātus; hostēs saevī; puerī currunt; fenestrae clausae; gladius nūdus; mīlitēs patriam dēfendunt; galea caput mīlitis tegit; lōrica pectus mīlitis dēfendit; brācae crūra mīlitis tegunt; caligae pedēs mīlitis tegunt; mīles hostēs volnerat; toga alba; calceī nigrī; Mārcus recitat; puerī intrant; omnēs audiunt; Sextus fenestram aperit; Quīntus manum tollit; omnēs surgunt; multae arborēs; crēta alba; mīles scūtō volnera arcet; mīlitēs scūtīs volnera arcent.

V

SALŪTĀTOR

Salūtātor. [*Forēs pulsāt*] Num dormiunt omnēs? Aperī iānuam!

Iānitor. Quis tam vehementer forēs pulsāt? Num ārdēmus?

Salūtātor. Salūtātor sum. Licetne mihi patrōnum salūtāre?

Iānitor. Cūr ita māne ades? Prīma modo est hōra; audī! gallus cantat.

Salūtātor. Errās; tardus est gallus, namque secunda iam est hōra. Ecce, aliī adsunt clientēs.

Clientēs aliī. Adestne patrōnus? Licetne nōbīs intrāre?

Iānitor. Intrāte omnēs. Dominus adest, sed eum vidēre nōnvoltis. Salūtant clientēs patrōnum, sed rē vērā petunt sportulās.

Clientēs. Sportulās nōbīs dā, pessime; necesse est sine morā abīre. [*Iānitor clientēs per vestibulum in ātrium dūcit.*]

Iānitor. Ecce, in mēnsā sunt sportulae. Accipite atque abīte. [*Clientēs sportulās capiunt et abeunt.*]

Est carmen de gallo in pagina centesima tricesima septima.

Salūtātor primus. Patrōnum nōn videō; patrōnum salūtāre volō.

Iānitor. In tablīnō epistulās scribit. Sed, ecce, iam ad nōs venit.

Salūtātor. Salvē, optime. Tē laetus salūtō. Valēsne?

Patrōnus. Grātiās tibi agō; satis bene valeō. Tū bonus es cliēns; nōn modo sportulam accipere, sed etiam mē salūtāre vīs. Sportulam bonam tibi dō.

Salūtātor. Grātiās tibi agō, optime patrōne. Valē. [*Sportulam accipit, et per vestibulum exit: dum in viā stat sportulam inspiciit.*] Multum inest. Ecce, caulem videō, duo ōva, aliquantulum pānis. Cauli fortāsse nōn ita viridis est color; lapidōsus est pānis....Sed carnem olfaciō. [*Būbulam extrahit.*] O nāsum meum! [*Nāsum digitīs comprimit.*] Odor abōminandus est! Abōminandus patrōnus, iānitor abōminandus! [*Iānitōrem vocat.*] Heus tū! iterum pande forēs.

Iānitor. Quid, malum, clāmās? Dominō meō, bonō cīvī, patrōnō optimō maledicis?

Salūtātor. Būbulam spectā, vel nāsum potius adhibē.

Iānitor. (*Būbulam olfacit.*) Bene olet carō. Nāsī, nōn carnis, est culpa.

Salūtātor. Sī ita tibi placet, tibi licet habēre. Tū, quī ōstium pandis, pande ōs et admitte būbulam. Nōnne bene olet? Nōnne bene sapit? Ēs tōtam. Quid ita respuis? Admitte iterum. Dominus tuus, bonus cīvis, optimus patrōnus, optimam habet būbulam. Sed tū disce prōverbium:

“Māgna est vērītās et praevalet.” Valē.

EXERCITATIONES

1. Quid salūtātor facere volt?
2. Quid rē vērā petunt salūtātōrēs?
3. Ubi epistulās scribit patrōnus?
4. Quotā hōrā adest salūtātor?
5. Ubi sunt sportulae?
6. Cūr patrōnus grātiās agit salūtātōrī?
7. Quid continet sportula?
8. Quid in sportulā olfacit salūtātor?
9. Quālis pānis in sportulā est?
10. Cūr būbulam respuit iānitor?

Adde partēs vocābulōrum omīssās.

1. Licetne nō— intrāre?
2. Iānitor client— per vestibulum in ātri— dūcit.
3. Caul— fortāsse nōn ita virid— est color.
4. Caul— videō, duo ōva, aliquantulum pān—.
5. Nās— digit— comprimit.
6. Dominō me— bonō cīv— maledīcis?
7. Māgn— est vērītās et praeval—.
8. Bene olet car—.
9. Patrōnus optim— optim— habet būbulam.
10. Salūtātor dum in vi— stat sportul— īnspicit.

*In pagina centesima tricesima sexta est carmen
de imperatore Nerone.*

VI

LŪDUS

[*Magister intrat.*]

- Discipulū.* Salvē, magister.
- Magister.* Salvēte, discipulī. Habētisne librōs et libellōs et stilōs?
- Mārcus* (*manum tollit*). Libellum nōn habeō, magister.
- Lūcius.* Stilum nōn habeō, magister.
- Decimus.* Librum nōn habeō, magister.
- Magister.* Ō puerōs abōminandōs! Oportet vōs omnia semper vōbīscum adferre.
- Mārcus.* Novum libellum, sīs, mihi dā, magister.
- Magister.* Tū, Sexte, novum libellum Mārcō dā. [*Sextus libellum Mārcō dat.*]
- Mārcus.* Grātiās tibi agō.
- Magister.* Et tū, Quīnte, stilum Lūciō dā. [*Quīntus stilum Lūciō dat.*]
- Lūcius.* Grātiās tibi agō.
- Magister.* Et tū, Antōnī, librum Decimō dā. [*Antōnius librum Decimō dat.*]
- Decimus.* Grātiās tibi agō.
- Magister.* Nunc oportet nōs recitāre. Aperīte librōs. [*Mārcus lūdit.*] Ō pessime, abōminande, scelerātissime, lūdis. Cape ālās tū, et, tū, pedēs tenē. Nunc in umerōs eum tollite, dum ego virgīs caedō.
- Mārcus.* Ō magister, parce, parce! Ō tergum meum, quantum dolet! Ō! Ō!
- Magister.* Nunc cōnsīde, et nōlī iterum lūdere dum ego doceō.
- Mārcus.* Nōnne audīs sonum, magister? Iānuam pulsāt advena.

Magister. Audiō. Iānuam aperī, Mārce.

[*Mārcus iānuam aperit. Physiōgnōmōn intrat.*]

Physiōgnōmōn. Salvē, magister. Salvēte, discipulī. Ego sum
physiōgnōmōn.

Magister. Salvē, tū quoque, ō physiōgnōmōn. Sed cūr
ad nōs venīs?

Physiōgnōmōn. Licetne mihi capita puerōrum pertractāre et
mōrēs nātūrāque ūnīus cūiusque expōnere?

Magister. Licet tibi hōc facere, sī potes. Surgite, puerī,
et ad physiōgnōmonem venīte.

[*Physiōgnōmōn Decimī caput pertractat.*]

Physiōgnōmōn. Tumōrem māgnū sentiō. Tū es puer sa-
piēns, immō vērō sapientissimus.

Decimus (Mārcō in aurem dīcit). Pater mihi hunc tumōrem
calceō suō fēcīt.

Physiōgnōmōn. Nunc tū venī. [*Digitō Mārcum dēmōnstrat.*]
Quid est tibi nōmen?

Mārcus. Mārcus est mihi nōmen.

[*Physiōgnōmōn caput Mārcī pertractat.*]

Physiōgnōmōn. Trēs habēs māgnōs tumōrēs; ūnum ā dextrā,
ā sinistrā duōs. Omnium sapientissimus es.

Mārcus (submīssā vōce). Tumōrēs in capite sunt, quia herī
ad terram cecidī.

Lūcius. Ō physiōgnōmōn, et magistrī, sīs, caput per-
tractā.

Physiōgnōmōn. Licetne mihi caput tuum pertractāre, domine?

Magister. Ego nōn recūsō. [*Physiōgnōmōn caput magi-
strī pertractat.*]

Physiōgnōmōn. Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, sep-
tem, octō, novem, decem! Tumōrēs tuōs
numerāre nōn possum! Tōtum caput plē-
num est tumōribus. Immō vērō nōn caput,
sed tumōrēs, habēs. Omnium stultissimus,
crūdēlissimus....

Magister (interpellat). Tacē, insānissime! [Ferulam suam capit, et physiognōmonis caput pulsat.]
 Nunc, accipe tū quoque capitis tumōrem.
 Ūnum, duōs, trēs, quattuor, quīnque, sex,
 septem, octō, novem, decem!

[Physiognōmonem ē lūdō expellit.]


ARS GRAMMATICA

Tempus Perfectum

I	II	III	IV
pulsāvī	sēdī	surrēxī	aperuī
pulsāvistī	sēdistī	surrēxistī	aperuistī
pulsāvit	sēdit	surrēxit	aperuit
pulsāvimus	sēdimus	surrēximus	aperuimus
pulsāvistis	sēdistis	surrēxistis	aperuistis
pulsāvērunt	sēdērunt	surrēxērunt	aperuērunt
	fuī		
	fuistī		
	fuit		
	fuimus		
	fuistis		
	fuērunt		

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* (vel *audiō*) aut dīcite aut scrībite haec:
 physiognōmōn; salūtātor patrōnum salūtāt; patrōnus epistulās scrībit; clientēs intrant; būbula optima; iānitor abōminandus; gallus cantat; salūtātor forēs pulsat; omnēs dormiunt; clientēs sportulās petunt; iānitor clientēs in ātrium dūcit; clientēs abeunt; cliēns bonus; sportula bona; salūtātor exit; salūtātor sportulam inspīcit; salūtātor nāsum digitīs comprimit; puerī rident; caulis viridis; pānis lapidōsus; discipulī librōs aperiunt; Mārcus manum tollit; Sextus libellum Mārcō



LĪTUS

dat; Quīntus stilum Lūciō dat; Antōnius librum Decimō dat; puerī grātiās agunt; discipulī Mārcum in umerōs tollunt; magister Mārcum virgīs caedit; Mārcus ululat; advena iānuam pulsat; physiōgnōmōn intrat; physiōgnōmōn capita puerōrum pertractat; puerī ad physiōgnōmonem veniunt; trēs māgnī tumōrēs; Mārcus ad terram cadit; magister physiōgnōmonem ē lūdō expellit.

VII

DĒ LŪDŌ

Hodiē in lūdō discimus; stilō et cērīs incumbimus; omnēs dolēmus. Herī tamen rīsimus; nam physiōgnōmōn vēnit, quī capita omnium pertractāvit. Tumōrem māgnū in capite Decimī invēnit; etiam magistrī caput pertractāvit, et decem tumōrēs invēnit! Immō vērō tumōrēs magistrī ēnumerāre nōn potuit. Nōs discipulī iterum atque iterum rīsimus, sed magister ferulam suam arripuit, quā physiōgnōmonem pulsāvit atque omnīnō ē lūdō dēpulit. Herī fēlicēs fuimus; hodiē miserī sumus, stilō et cērīs incumbimus, nōn rīdēmus. Nōn tamen semper miserī sumus in lūdō. Nōnnumquam magister fābulās nōbīs nārrat. Optimam ōlim nārrāvit fābulam, quam ego nunc vōbīs nārrō. Nōn omnia possumus omnēs, ut dicit Vergilius poēta, neque ego sum magister, sed nārrāre temptō.

Fābula dē rēge quōdam.

Rēx quīdam animī causā ōlim secundum ōceanī lītus ambulat, cui ūnus ex assentātōribus, “Ō rēx omnipotēns,” inquit, “quī hominēs, quī mare, quī terram regis! Quid nōn potes facere? Tibi terra, caelum, ōceanus dēnique pāret.” At rēx, tālia dum audit, hominis vānam assentātiōnem reprehendit, et, “Nūgās,” inquit, “nārrās. Spectā enim.” Simul atque haec dīxit, alium quemdam iussit sellam prope mare appōnere, et postquam ille sellam apposuit, rēx cōnsēdit, et

crūra sua ūsque ad undās extendit. Simul undās propius accēdere vetuit. Aestus tamen nihilōminus sē incitāvit, et mox pedēs rēgis madefēcit; quī statim eīdem assentātōrī, “Spectā,” inquit, “quem nūper omnipotentem vocāvistī rēgem, cui hae saltem undae nōn pārent. Ut tū omnipo- tentem rēgem mē nūper vocāvistī, ita ego tē stultissimum assentātōrem nunc vocō.”

EXERCITATIONES

I

Verte in tempus praesēns.

1. Magister puerōs docuit.
2. Sextus libellum Mārcō dedit.
3. Physiōgnōmōn caput magistrī pertractāvit.
4. Mārcus in terram cecidit.
5. Physiōgnōmōn tumōrēs magistrī ēnumerāre nōn potuit.

Verte in tempus perfectum.

6. Rēx secundum ōceanī lītus ambulat.
7. Rēx assentātōrem reprehendit.
8. Nūgās nārrās.
9. Tē stultissimum vocō.
10. Stilō et cērīs incumbimus.

II

1. Cūr magister virgīs caedit Mārcum?
2. Quid facere volt physiōgnōmōn?
3. Cūr Decimus in capite habet tumōrem?
4. Cūr Mārcus in capite habet tumōrēs?
5. Quōmodo lūdī magister capitis tumōrem physiōgnōmonī fēcit?

Adde partēs vocābulōrum omīssās.

6. Tū, Sexte, novum libell— Mārc— dā.
7. Licetne mihi capit— puer— pertractāre?
8. Trēs māgnōs tumōr— habēs, ūn— ā dextr—, ā sinistr—
duōs.
9. Tumōrēs tu— numer— nōn possum.
10. Physiōgnōmon— magister ē lūd— dēpellit.

VIII

PRAELĒCTIŌ IN LŪDŌ

Magister discipulōs hōrās numerāre docet.

Magister. Iam tertia est hōra. Post tertiam quota erit hōra,
Mārce?

Mārcus. Quārta post tertiam erit hōra.

Magister. Bene; et quota post quārtam, Sexte?

Sextus. Quīnta post quārtam erit hōra.

Magister. Rēctē respondēs, sapiēns eris. Sed aliquid difficilius
interrogābō. Post duodecimam quota erit hōra?

Sextus. Nesciō.

Pūblius (manum tollēns). Ego dīcam, magister, sī mē inter-
rogābis.

Magister. Tē virgīs caedam, sī iterum interpellābis. Nunc,
Sexte, sī numerās, quotus erit numerus post duo-
decimum?

Sextus. Tertius decimus.

Magister. Iterum igitur tē interrogābō. Quota erit hōra post
duodecimam?

Sextus. Tertia decima.

Magister. Minimē. Numerōs rēctē numerās, sed hōrās nōn
ita dīcimus.

Pūblius (iterum interpellāns). Ego sciō: erit prīma hōra noctis.

Magister. Rēctē expōnis. Sed dolēbis, quod mē iterum interpellāvistī. Hūc venīte, Mārce et Sexte. Pūblium in umerōs tollētis et ego virgīs caedam.

[*Mārcus et Sextus Pūblium in umerōs tollunt dum magister virgīs caedit.*]

Pūblius. Ō magister, parce mihi! Sedēre nōn iterum poterō. Parce!

Magister. Parcam tibi, sī nōn iterum interpellābis.

Pūblius. Grātiās! nōn iterum interpellābō.

Magister. Liberāte eum, Mārce et Sexte. Sinite cōnsīdere.

Pūblius (submīssā vōce). Nōn cōnsīdam, sed stābō.

Magister. Nunc pergēmus. Post duodecimam hōram erit prīma hōra noctis, nam post diem veniet nox....

Pūblius (susurrāns). Cum adultus erō, ut magistrō colaphōs dabō!

Magister. Iterumne, furcifer? Vae tergō tuō, mox ut numquam antea dolēbit. Sed novās et validiōrēs virgās quaeram. [*Exit.*]

Pūblius. Ego effugiam. Cum redībit magister mē nōn inveniet! [*Per fenestram effugit.*]

EXERCITATIO

Verte in tempus futūrum.

1. Lūdum nostrum multī discipulī frequentant.
2. Pater discipulum iubet surgere.
3. Domum abīmus.
4. Magister nōs virgīs caedit.
5. Physiōgnōmōn capita puerōrum pertractat.
6. Titus artem grammaticam nōn amat.
7. Vōs lūditis.
8. Discipulus librum aperit.
9. Omnēs scribere incipiunt.
10. Bene possumus respondēre.



EQUES EQUITAT

ARS GRAMMATICA

Tempus Futūrum

I	II	III	IV
pulsābō	sedēbō	surgam	aperiam
pulsābis	sedēbis	surgēs	aperiēs
pulsābit	sedēbit	surget	aperiet
pulsābimus	sedēbimus	surgēmus	aperiēmus
pulsābitis	sedēbitis	surgētis	aperiētis
pulsābunt	sedēbunt	surgent	aperient
	erō		
	eris		
	erit		
	erimus		
	eritis		
	erunt		

IX

NOVERCA ET PRĪVĪGNUS

Ōlim erat iniūsta noverca, cui prīvīgnus rēx. Hunc rēgem interficere cōstituit, nam fīlium suum rēgem creāre cupiēbat. Diū occāsiōnem frūstrā exspectābat, sed tandem eī sic prōsperē cēssit cōsiliū. Villa novercae prope silvam stābat, ubi cottīdiē rēx prīvīgnus cum comitibus suis ferās captābat. Per hanc silvam rēx quondam, ut mōs, equitābat; undique ērumpēbant ferae, quae sē in fugam statim dabant; vēnātōrēs suum quisque equum incitābant; omnēs ferās urgēbant. Subitō autem equus rēgis claudicāre incēpit; aliōs aequāre nōn iam poterat. Cēterī igitur rēgem superāvērunt, quī sōlus, ab omnibus dēstitūtus, ad villam novercae, quae in proximō erat, sē contulit. Simul atque noverca prīvīgnum suum

appropinquantem vīdit, servō cuīdam fidēli pugiōnem dedit, eumque iussit rēgem imprudentem ā tergō percutere. Ipsa rēgī obviam iit, cui statim ille sitiēns, “Salvē,” inquit, “cāris-sima. Ut sitiō! Sōl mediō caelō ārdet. Ut dīcit Vergilius noster:

Nunc etiam pecudēs umbrās et frīgora captant.

Potesne mihi pōtum dare?” Itaque noverca prīvīgnō pōculum reverenter dedit, quod rēx equō insidēns statim hauriēbat. At servus ā tergō appropinquāvit, rēgemque bibentem pugiōne percussit.

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* (vel *audiō*) aut dīcite aut scrībite haec: puer sapiēns; puerī sapientēs; puer ambulat; discipulī discunt; magister docet; arborēs pulchrae; umbra frīgida; pōculum māgnū; equus bonus; servī multī; lītus dēsertum; undae māgnae; mare altum; terra nova; mīles pūgnat; discipulī discunt; rēx ambulat; ōceanus rēgī nōn pāret; undae sē excitant; undae pedēs rēgis madefaciunt; rēx assentātōrem reprehendit; assentātor stultus; rēx omnipotēns; magistrī docent; discipulī lūdum frequentant; puerī domum abeunt; magister docet; discipulus novus discit; omnēs scrībere incipiunt; noverca iniūsta; prīvīgnus rēx; noverca rēgem interficere volt; vīlla novercae; rēx ferās captat; comitēs ferās captant; rēx equitat; ferae ērumpunt; vēnātōrēs ferās urgent; equus rēgis claudicat; cēterī rēgem superant; rēx dēstitūtus; rēx ad vīllam novercae sē cōnfert; noverca servō pugiōnem dat; pugiō acūtus; servus fidēlis; rēx sitit; sōl ārdet; pecudēs umbrās captant; noverca pōculum prīvīgnō dat; rēx equō insidet; rēx pōculum haurit; servus rēgem percutit.



Vivēbat quondam, spectā, mātṛōna senīlis,
 cū fuit, haud multō iūnior ipse, canis.
 os dare iēiūnō catulō mātṛōna senīlis
 cōstituit; properat prōmere larga penum.
 sed fuit omnīnō vacua illa penāria cella,
 quā rē iēiūnus nunc caret osse canis.

EXERCITATIO

Verte in tempus imperfectum.

1. Prīvignus novercae est rēx.
2. Tū cum comitibus tuis per silvam equitās.
3. Titus artem grammaticam nōn amat.
4. Equus claudicat.

5. Domum redīmus.
6. Vōs omnēs clāmātis.
7. Servus rēgem pugiōne percussit.
8. Omnēs effugiunt.
9. Mātrōna senīlis os dare iēiūnō canī properat.
10. Canis osse caret.

ARS GRAMMATICA

Tempus Imperfectum

	I	II	III	IV
eram	pulsābam	sedēbam	surgēbam	aperiēbam
erās	pulsābās	sedēbās	surgēbās	aperiēbās
erat	pulsābat	sedēbat	surgēbat	aperiēbat
erāmus	pulsābāmus	sedēbāmus	surgēbāmus	aperiēbāmus
erātis	pulsābātis	sedēbātis	surgēbātis	aperiēbātis
erant	pulsābant	sedēbant	surgēbant	aperiēbant

X

DĒ PUERŌ QUĪ AEGRŌTAT

Puer quī aegrōtat māne ē lectō nōn surgit, neque vestēs induit, neque per scālās dēscendit. Māter ad puerum venit, cui, “Cūr,” inquit, “ē lectō nōn surrēxistī? Cūr vestēs nōn induistī?” Cui puer, “Ō māter,” inquit, “aegrōtō. Ex capite, ex ventre labōrō.” Deinde māter medicum quaerit; medicus venit et puerō, “Linguam,” inquit, “mihi mōnstrā.” Puer linguam extendit, et medicus, “Ō tē miserum,” exclāmat, “pessima est lingua; oportet tē medicāmentum bibere. Medicāmentum tibi mīttam.” Deinde puer dormit, namque nox advenit. Ut Vergilius poēta dīcit:

Et iam summa procul villārum culmina fūmant,
māiōrēsque cadunt altīs dē montibus umbrae.

PUER QUI A LŪDŌ SĒ ABSTINUIT

Persōnae

Sextus	}	frātrēs	Medicus
Quīntus			Lūdī magister
Mārcus			Alii discipulī
Pater			Porcus
Māter			

SCAENA PRĪMA. *In villā Mārci patris.*

[*Māter et pater ientāculum edunt.*]

Pater. Ubi sunt Quīntus, et Sextus, et Mārcus?

Māter. Omnēs excitāvī. Venient mox; immō vērō iam veniunt.

[*Quīntus et Sextus intrant.*]

Quīntus. Salvē, māter! Salvē, pater! [*Sextus calceōs suōs quaerit.*]

Māter. Patrem salvēre iubē, Sexte.

Sextus. Salvē! Calceōs meōs invenire nōn possum.

Māter. Ō pessime, nēglegēns es. Venī hūc. Ō puer abōminande! Collum nōn lāvistī, comās nōn pexistī. Abī iterum ad cubiculum tuum et collum lavā, comāsque pecte.

[*Exit Sextus.*]

[*Omnēs ientāculum edunt. Quīntus multum ēst, et multum bibit.*]

Quīntus. Dā mihi, sīs, māter, aliquantulum porcīnae.

Māter. Nōnne satis iam ēdistī, mī Quīnte? Nōn oportet tē avārum esse. Sī nimis edēs, ex ventre labōrābis.

Quīntus. Nōndum satis ēdī; etiam nunc ēsuriō.

Pater. Satis nōn ēdistī, scelerātissime! Iam tria ōva et multum pānis ēdistī. Nōn licet tibi plūs habēre. [*Sextus iterum intrat.*]

Sextus. Mārcus ē lectō surgere nōnvolt. In lectō iacet, neque ad lūdum ire volt.

Pater. Sed oportet eum statim surgere. Cūr nōndum
surrēxit?

Sextus. Quia aegrōtat, mī pater. Ex ventre, ex capite
labōrat.

Quīntus. Nimis ēdit Mārcus; nunc ex ventre labōrat. Ego
nimis nōn edam.

Māter. Tū, tamen, fēstīnā, Sexte. Ientāculum nōn ēdistī,
et mox ad lūdum ire tē oportēbit. Accipe
aliquantulum porcīnae.

[*Sextus porcīnam ēst.*]

Quīntus. Cūr Sextō porcīnam dās, māter? mihi nōn dedistī.

Pater. Tacē! omnium avidissimus es. Tū iam tria ōva
ēdistī et nunc porcīnam ēsse vīs.

Māter. Fēstīnāte! iam oportet vōs ad lūdum ire. Valēte!
ego ad Mārcum ibō.

Sextus. } Valē, māter! Valē, pater. Nōs ad lūdum imus.
Quīntus. }

SCAENA SECUNDA. *In cubiculō Mārci.*

Māter. Cūr nōndum ē lectō surrēxistī, Mārce?

Mārcus. Ō māter, aegrōtō! Ex capite, ex ventre labōrō.

Māter. Linguam mihi mōnstrā. [*Mārcus linguam suam
extendit.*] Sed rubra est lingua. Satis bene
valēs, nōn aegrōtās. Oportet tē ad lūdum ire.

Mārcus. Nōn satis valeō, mea māter; vehementer ex ventre
labōrō. Ō ventrem meum! Ad lūdum ire nōn
possum.

Māter. Medicum igitur quaeram. [*Māter exire incipit.*]

Mārcus. Ō māter, redī, mea māter!

Māter. Quid vīs?

Mārcus. Iēiūnus sum, mea māter, neque ientāculum ēdī.
Licetne mihi in lectō ientāre?

Māter. Sī ex ventre labōrās, nōn oportet tē ēsse. Sed
quid vīs?

Mārcus. Ōva, sīs, et aliquantulum porcīnae.

Māter. Babae! Porcīnam tibi nōn dabō. Pultem adferam. [*Exit māter.*]

Mārcus [*submīssā vōce*]. Ō mē miserum! pultem nōn amō. Sed necesse est ēsse. Ad lūdum hodiē nōn ībō, quia pēnsū meum nōn fēcī. Ego in lectō iaceō; Sextus et Quīntus in lūdō sunt. Illī scrībunt et recitant, iterum recitant, iterum scrībunt. Ego in lectō iaceō et dormiō.

[*Māter redit quae pultem adfert.*]

Māter. Nunc, Mārce, pultem adferō. Medicum arcessīvī, quī mox veniet. Accipe pultem.

[*Mārcus pultem capit, et ēsse incipit.*]

Mārcus. Hōc mihi nōn placet, māter. Nōne lieet mihi ōvum habēre?

Māter. Minimē. Nihil nisi pultem tibi dabō.

[*Iānuam pulsat medicus.*]

Intrā!

Medicus. Salvē, mātrōna! Quis aegrōtat?

Māter. Salvē tū quoque! Hīc mihi fīlius ex ventre labōrat.

Medicus. Puerī semper ex ventre labōrant. Nimis edunt, deinde ex ventre labōrant. Manum mihi dā, puerule; pulsum sentiam. Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem, ūndecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quīndecim, sēdecim, septemdecim, duodēvigintī, ūndēvigintī, vīgintī. Nunc linguam mihi mōnstrā. [*Mātrī in aurem dīcit.*] Satis bene valet puer; nōn aegrōtat. Sed ad lūdum īre nōnvolt, itaque aegrū simulat. Amārissimum medicāmentum eī dabō. [*Clārā vōce.*] Vehementer aegrōtat, sed bonum medicāmentum eī dabō.

Mārcus. Licetne mihi ōva ēsse?

Medicus. Minimē vērō. Nihil nisi pultem et medicā-
mentum tibi dabō.

[*Māter et medicus exeunt.*]

Mārcus. Ego medicāmentum nōn bibam. Per fenestram
effugiam.

[*Celeriter ē lectō surgit, vestēs induit, per fenes-
tram exit.*]

SCAENA TERTIA. *In lūdō.*

[*Discipulī in sellīs sedent: intrat magister.*]

Discipulī. Salvē, magister!

Magister. Salvēte discipulī! Adsuntne omnēs?

Quīntus. Mārcus, quī aegrōtat, abest. Ex ventre labōrat.

Magister. Ille semper aegrōtat,—vel aegrum simulat. Is
quī semper abest nihil potest discere. Tū,
Quīnte, multō eris sapientior quam frāter tuus.
Nunc animum attendite omnēs, et librōs
aperīte! [*Sextus per fenestram spectat.*] Quem
oportet recitāre?

Decimus. Licetne mihi, magister?

Quīntus (interpellāns). Tū herī recitāvistī. Hodiē mē oportet
recitāre.

Magister. Puerō quī interpellat recitāre nōn licet. Tū,
Manlī, incipe recitāre.

Sextus. Ō magister....

Magister. Nōlī interpellāre, Sexte! Manlius recitāre incipit.
[*Sextus iterum per fenestram spectat.*]

Manlius (ē librō recitāns). Ōlim homō quīdam in hortō suō
sedēbat...

Sextus (interpellāns). In hortō tuō...

Magister. Tacē, Sexte! Nōn est “in hortō tuō.” Spectā
librum! Est “in hortō suō.”

Manlius (pergēns). quī vīnum bibēbat, cibumque edēbat...

Sextus (interpellāns). Nunc ēst...

Magister (sevērā vōce). Nōn nunc ēst. Ōlim edēbat. Tū animum nōn attendis, sed per fenestram spectās. Librum spectā, et nōlī iterum interpellāre. Sī iterum interpellābis, tē virgīs caedam. Perge recitāre, Manlī!

Manlius. In mēnsā erant ōva, pānis...

Magister. Dēsiste! Sextus animum nōn attendit.

Sextus. Sed, magister...

Magister. Tacē, improbissime! Vōcem tuam audire nōn volō. Animum attende. Perge, Manlī!

[*Sextus chartam capit et scrībit.*]

Manlius. In mēnsā erant ōva, pānis, ūvae...

Magister. Satis! Improbissimus ille Sextus scrībit. Dā mihi, Sexte, id quod scrīpsistī.

[*Sextus chartam magistrō dat.*]

Magister (recitāns). “Magister mala sūs est.” Ō puerum abōminandum, improbissimum, scelerātissimum...

Sextus. Sed hōc nōn scrīpsī, magister.

Magister. Omnium mendācissimus es! Meīs ipse oculīs tē scrībentem vīdī.

Sextus. Ita, magister. Scrībēbam; sed nōn “māla” scrīpsī, sed “māla.” Et verbum “ēst” scrīpsī, nōn “est.” Nihil mihi dīcere licēbat, et per fenestram porcū vīdī māla tua edentem.

[*Omnēs ad fenestrās ruunt.*]

Magister. Cōnsīdite omnēs! [*Omnēs iterum cōnsīdunt, et Sextus dīcere pergit.*]

Sextus. Temptāvī tibi dīcere, sed tū semper, “Nōlī interpellāre,” exclāmābās. Scrīpsī igitur, quia dīcere mihi nōn licuit.

Magister. Num rē vērā in hortō porcus pōma mea ēst?

Sextus. Īmmō vērō omnia iam ēdit.

Magister. Cūr nōn antea mihi dixistī, stulte? Ō mē miserum!
Plūs docēre hodiē nōn possum. Licet vōbīs
abire. Hodiē discere nōn necesse est. Ego
porcum comprehendere temptābō. [*Exit.*]

[*Pueri exire incipiunt.*]

Sextus. Ō beātum mē! Hodiē nōn discam, sed lūdā.
Mārcus in lectō iacet; ego currō, ego saltō!

Quīntus. Mē quoque beātum! Mārcus pultem edet, ego
crūstula edam.

Sextus. Ō miserrimum Mārcum! Ille medicāmentum
bibit; nōs porcum vīdimus māla magistri
edentem!

Quīntus. Medicus linguam Mārcī spectat.

Manlius. Nōs triumphum spectābimus.

Decimus. Quem triumphum dīcis?

Manlius. Nōne audīvistī? Post merīdiem Britannōs in
triumphō dūcet Iūlius Caesar. Britannōs vīcit,
et hodiē erit triumphus.

Omnēs. Euge! Euge! Ad triumphum ībimus.

[*Exeunt omnēs.*]

SCAENA QUĀRTA. *In Viā Sacrā.*

[*Spectātōrēs pompam spectant.*]

Sextus. Ut multī sunt mīlitēs! Iō triumphhe!

Quīntus. Spectā gladiōs! Spectā pīla!

[*Tubicinēs “taratantara” dīcunt.*]

Decimus. Tubicinēs audiō. Iō triumphhe!

Spectātōrēs. Iō triumphhe! Iō triumphhe!

Quīntus. Optima est pompa. Ecce! vidēsne animālia ista?

Manlius. Elephantī sunt. Elephantōs antea nōn vīdī.
Ō beātum mē! Iō triumphhe!

Sextus. Et sīgna mīlitum spectā! Vidēsne tū, Quīnte?
Nōn vidēs. Spectātōrēs spectās; nōlī illōs



MĪLTĒS RŌMĀNĪ

spectāre; pompam spectā! Cūr spectātōrēs spectās?

Quīntus. Quia Mārcum videō.

Sextus. Mārcum nōn vidēs. Ille in lectō iacet.

Quīntus. Videō eum. Ecce! nōnne tū vidēs?

Sextus. Ubi est?

Quīntus. Spectā! In summō mūrō sedet.

Manlius. Ā lūdō sē abstinuit. Nōn aegrōtābat. Magister eum virgīs caedet.

Sextus. Videō eum. (*Clāmāns*) Mārce, venī hūc!

Mārcus. Minimē vērō. Ad mē venīte! Optimus est locus. Bene vidēre possum.

[*Omnēs ad Mārcum eunt.*]

Sextus. Quōmodo hūc vēnistī?

Quīntus. Nōn aegrōtāvistī. Aegrum simulāvistī, et tē ā lūdō abstinuistī.

Mārcus. Ita vērō. Ad lūdum ire nōluī, quia pēnsu meum facere nōn poteram. Sed pessimus ille medicus malum medicāmentum mihi dedit, quod bibere nōlēbam. Itaque per fenestram effūgī.

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Quīntus. Magister tē virgīs caedet.

Mārcus. Nihil cūrō. Pompam spectāte.

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Decimus. Vidētisne Britannōs?

Manlius. Abōminandī sunt omnēs!

Mārcus. Ecce! ōva pūtida habeō. In Britannōs iaciam.

Quīntus. }

Sextus. }

Manlius. }

Dā mihi! Dā mihi!

[*Omnēs in Britannōs ōva iaciunt.*]

Manlius. Bene! Caput Britannī cūiusdam percussī.

Mārcus. Macte virtūte! Ōvō meō oculum dextrum Britannicī ducis percussī. Habet! Habet!

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Sextus. Cavē, Mārce! Lūdī magistrum videō.

Mārcus. Ō mē miserum! Ego effugiam.

[*Dē mūrō dēscendit, sed magister eum videt.*]

Magister. Tē videō, Mārce! Venī hūc! [*Mārcum comprehendit magister.*] Abōminande puerule! Ā lūdō tē hodiē abstinuistī. Nunc autem ad lūdum redībimus, et virgīs tē caedam.

Mārcus. Ō parce, magister, parce mihi!

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

[*Magister Mārcum abdūcit.*]

Mārcus. Ō magister, vidēsne porcum istum? Ut māgnus est!

Magister. Porcum dīcis? Ubi est? [*Grunnit porcus.*]

Mārcus. Ecce! Spectā!

Magister. Videō eum. Curre, Mārce, celeriter. Porcum comprehendere temptā. Sī porcum comprehendere poteris, tibi parcam. [*Mārcus celeriter currit, et porcum comprehendit quem ad magistrum dūcit.*]

Mārcus. Ecce! magister. Porcum comprehendī. Nunc oportet tē mihi parcere, ut prōmīsisistī.

[*Grunnit porcus.*]

Magister. Tibi parcam, optime. Porcum mihi dā!

[*Magister porcum abdūcit; Mārcus ad pompam redit.*]

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Est carmen de porco in pagina centesima tricesima quinta.

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* (vel *audiō*) aut dīcite aut scrībite haec: Puer vestēs induit; lingua pessima; medicāmentum bonum; nox advenit; villārum culmina fūmant; umbrae dē montibus cadunt; māter et pater ientāculum edunt; Quīntus et Sextus intrant; Sextus calceōs quaerit; Sextus exit; Mārcus ad lūdum

ire nōnvolt; Mārcus ē ventre labōrat; porcīna bona; tria ōva; Sextus et Quīntus ad lūdum eunt; caput tumidum; lingua rubra; capita multa; māter medicum quaerit; māter redit; puer iēiūnus; Mārcus in lectō iacet; puls calida; puerī aegrōtant; māter et medicus exeunt; Mārcus per fenestram exit; discipulī in sellis sedent; magister intrat; homō quīdam in hortō sedet; homō vīnum bibit; omnēs ad fenestrās ruunt; omnēs cōnsidunt; Sextus dīcere pergit; Quīntus crūstula ēst; medicus linguam Mārci spectat; puerī triumphum spectant; Iūlius Caesar Britannōs in triumphō dūcit; omnēs exeunt; multī militēs; pompa optima; animālia māgna; sīgna militum; Mārcus in summō mūrō sedet; omnēs ad Mārcum eunt; ōva pūtida; puerī ōva iaciunt; porcus grunnit.

XI

ĪNSULA INCŌGNITA


Spectā tabulam pīctam. Terra, quam vidēs, est īnsula; ita enim nōmināmus terram quam tōtam mare cingit. Fortāsse rogābis, “Ubi est haec īnsula?” Facile est rogāre, sed respondēre difficile, īmmō vērō difficillimum. Equidem vērō nesciō; īmmō vērō omnēs nesciunt. Quam ob rem īnsulam incōgnitam nōminō, namque incōgnitum est id quod omnēs nesciunt. Sed quamquam incōgnita, pulcherrima est īnsula. In āēre volant avēs; in marī sunt piscēs. Vidēsne quoque māgna illa mōnstra quae in marī natantia lītorī appropinquant? Haec nōmināmus balaenās, quae dum natant aquam in āēra ēiciunt. Nōnnūllī hominēs quoque in marī natāre temptant. Ipsā in terrā multae et pulcherrimae crēscunt arborēs. Quid enim arbore pulchrius esse potest? Nōnne Vergilius poēta dīcit:

Fraxinus in silvīs pulcherrima, pīnus in hortīs,
pōpulus in fluviīs, abiēs in montibus altīs?

Alia quoque verba eiusdem poëtae bene dēscribunt insulam nostram. Dīcit enim:

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbōs;
nunc frondent silvae, nunc fōrmōsissimus annus.

Hanc insulam habitat sāga quaedam. Sāga est fēmina quae magicam artem scit. Nōn omnia possumus omnēs, dīcit



Vergilius, sed sāga quidlibet facere potest. Magicis suis artibus potest vel lūnam caelō dēdūcere, nec nōn animās ex īmīs sepulchris excīre. Et nunc, ut in tabulā pīctā vidēs, scōpīs īnsidēns per āēra perinde āc avis volat. Volat enim ad casam suam, quae prope mare in lītore stat. Haud procul ab hāc casā est prōmunturium, in quō est māgna spēlunca vel caverna. Hīc habitat mōnstrum terribile, quod vidēre nōn potes, nam sub mare balaenās ad lītus fugat. Sed adest certē, quamquam in praesentī nōn appāret. Quod balaenae bene sciunt; itaque celeriter effugiunt. Namque mōnstrum quam

māximē timent. Et iūre timent. Tria enim habet capita; ūnī cuique capitī sunt terna ōra, oculī dēnī, et prō crīnibus anguēs, quī linguīs vibrantibus ōra sībila lambunt. Sed alia dē hōc mōnstrō nōn nārrābō; nōn enim tē terrēre volō, ut mōnstrum balaenās terret. Ad insulam redībimus.

In mediā insulā altissimus stat mōns; in summō monte stat cervus. Ē monte fluit rīvulus, nunc quidem nōn ita māgnus. Sed nōnnumquam postquam pluit, vel ut dīcit Vergilius:

Iūppiter et laetō dēscendit plūrimus imbrī,
iam fluvius vehementer ruit

et rapidus montānō flūmine torrēns
sternit agrōs, sternit sata laeta, boumque labōrēs,
praecipitēsque trahit silvās.

Trāns fluvium fert pōns, prope quem est piscātor quī nūllōs tamen piscēs capit; omnēs enim, ut vidēs, in aliā maris parte natant. Sed satis, ut putō, iam nārrāvī. Vōs, discipulī, mihi respondēte dē insulā rogantī. Ubi est casa sāgae? Tū, Sexte, respondē. Incipe, parve puer.

Magister multa interrogat.

XII

MACELLUM

[*Anus quīnque pullōs gallumque ūnum in sportā portat.*]

Anus. Quis pullōs emere volt?

Ēmptor. Pullōsne dīcis? Ubi sunt? Ō nōs miserōs! Taurum cavē! Ut terribilis est aspectū!

Agricola. Nōlī timēre, domine! Taurus nōn tē cornū petet.

Anus. Hī sunt pullī, domine. Sed quō aufūgit ille ėmptor, quī pullōs emere voluit? Cavē! Cavē! Taurus

mecastor iterum hūc ruit! Tot rēs molestās
numquam antea ūnō diē percēpī!

Ēmptor. Dīs grātiās agō! Taurī cornua nunc manibus tenet
agricola. Pullōs, sīs, mihi mōnstrā.

Anus. Ecce, pullī! Pinguīōrēs, crēdō, numquam vīdistī.

Ēmptor. Placent mihi. Omnēs igitur dā.

[*Sportam ē manū anus capit, et abire coepit.*]

Anus. Pecūniam solve, sī pullōs emere vīs.

Ēmptor. Nūllam pecūniam mēcum habeo, sed satis est domī.
Domum igitur redībō et pecūniam adferam.
Pullōs nunc mēcum capiam.

Anus. Minimē! nam sī pullōs nunc tēcum capiēs fortāsse
numquam cum pecūniā redībīs.

Ēmptor. Pīgnus igitur tibi dabō. [*Gallum ex sportā extrahit,
quem anuī dat.*] Tertiō abhinc diē redībō et
pecūniam prō pullīs tibi dabō. [*Exit.*]

[*Anus pīgnere contenta in macellō manet, sed ēmptor
numquam redit.*]

ARS GRAMMATICA

Dēclīnātiō Quārta

Singulāriter.

<i>N.V.</i>	manus	cornū
<i>Acc.</i>	manum	cornū
<i>Gen.</i>	manūs	cornūs
<i>Dat.</i>	manuī	cornuī vel cornū
<i>Abl.</i>	manū	cornū

Plūrāliter.


<i>N.V.</i>	manūs	cornua
<i>Acc.</i>	manūs	cornua
<i>Gen.</i>	manuum	cornuum
<i>Dat.</i>	manibus	cornibus
<i>Abl.</i>	manibus	cornibus

Dēclīnātiō Quīnta


	<i>Singulāriter.</i>	<i>Plūrāliter.</i>
<i>N. V.</i>	diēs	diēs
<i>Acc.</i>	diem	diēs
<i>Gen.</i>	diēī	diērum
<i>Dat.</i>	diēī	diēbus
<i>Abl.</i>	diē	diēbus

XIII

AEDĒS IACCHĪ




Aspicias hīc aedēs quās aedificāvit Iacchus.




Frūmentumque vidēre licet; nam cōpia māgna
intrā aedēs posita est, quās aedificāvit Iacchus.



Frīgora mūs fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
quī sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.




Occīdit fēlēs miserum saevissima mūrem,
frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



At fēlem canis hīc infēstō dente momordit,
quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,

frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Haec tamen est ingēns tibi bōs, cui cornua torta,
quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
infēstum catulum, fēlem quī dente momordit,
quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Haec erat, aerumnīs cōfecta, miserrima virgō,
mulgēbatque bovem māgnam, cui cornua torta,


quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
 infēstum catulum, fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Sordidus hīc iuvenis, cū tam pannōsus amictus,
 assiduē cupiēns hanc importūnus amābat
 quae fuit, aerumnīs cōfecta, miserrima virgō,
 mulgēbatque bovem māgnam, cū cornua torta,
 quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
 infēstum catulum. fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Hic tamen, ecce, caput rāsus tōnsusque sacerdōs,
 quī iuvenī maestam dedit hanc miseramque puellam,
 huīc spōnsam iuvenī, cui tam pannōsus amictus,
 quī semper cupiēns hanc importūnus amābat
 quae fuit, aerumnīs cōfecta, miserrima virgō,
 mulgēbatque bovem māgnam, cui cornua torta,
 quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
 infēstum catulum, fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.




Hic gallus; quī sub lūcem cantāre solēbat
 sōpītīque sacerdōtis perrumpere somnōs,
 quī, dē mōre caput rāsus tōnsusque rotundum,
 maerentem iuvenī dedit hanc miseramque puellam,
 huīc spōnsam iuvenī, cui tam pannōsus amictus,
 quī semper cupiēns hanc importūnus amābat
 quae fuit, aerumnīs cōflecta, miserrima virgō,
 mulgēbatque bovem māgnam, cui cornua torta,
 quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
 infēstum catulum, fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Agricola hīc prūdēns mandāverat hordea sulcīs,
 unde cibum gallō poterat praestāre canentī,
 huīc gallō quī sub lūcem cantāre solēbat

sōpītīque sacerdōtis perrumpere somnōs,
 quī, dē mōre caput rāsus tōnsusque rotundum,
 maerentem iuvenī dedit hanc miseramque puellam,
 huīc spōnsam iuvenī, cui tam pannōsus amictus,
 quī semper cupiēns hanc importūnus amābat
 quae fuit, aerumnīs cōfecta, miserrima virgō,
 mulgēbatque bovem māgnam, cui cornua torta,
 quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit
 infēstum catulum, fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.



Agricolae spectās cornū, canem, equumque superbum,
 grandia quī prūdēns mandāverat hordea sulcīs,
 unde cibum gallō poterat praestāre canentī,
 huīc gallō quī sub lūcem cantāre solēbat
 sōpītīque sacerdōtis perrumpere somnōs,
 quī, dē mōre caput rāsus tōnsusque rotundum,
 maerentem iuvenī dedit hanc miseramque puellam,
 huīc spōnsam iuvenī, cui tam pannōsus amictus,
 quī semper cupiēns hanc importūnus amābat
 quae fuit, aerumnīs cōfecta, miserrima virgō,
 mulgēbatque bovem māgnam, cui cornua torta,
 quae viridī fuit in prātō, cornūque petīvit

infestum catulum, fēlem quī dente momordit,
 quae miserē occīdit parvum saevissima mūrem,
 frīgora quī fugiēns, in eāsdem irrēpserat aedēs,
 et sibi frūmentī sōlus cōsūmpsit acervum,
 intrā aedēs positum, quās aedificāvit Iacchus.

EXERCITATIO

Verte in tempus plūsquam perfectum.

1. Iacchus aedēs aedificāvit.
2. Titus artem grammaticam nōn amat.
3. Haec nōn bene intellegō.
4. Fēcistine pēsum tuum?
5. Mūs frūmentī acervum cōsūmpsit.
6. Mārcus et Quīntus ā lūdō sē abstinuērunt.
7. Vōs errātis.
8. Gallus sacerdotem excitāvit.
9. Discipulī rident.
10. Et iam summa procul villārum culmina fūmant.

ARS GRAMMATICA

Tempus Plūsquam perfectum

I	II	III	IV
pulsāveram	sēderam	surrēxeram	aperueram
pulsāverās	sēderās	surrēxerās	aperuerās
pulsāverat	sēderat	surrēxerat	aperuerat
pulsāverāmus	sēderāmus	surrēxerāmus	aperuerāmus
pulsāverātis	sēderātis	surrēxerātis	aperuerātis
pulsāverant	sēderant	surrēxerant	aperuerant



MILITĒS OPPIDUM OBSIDENT

XIV

DOLUS

Ōlim milites oppidum obsidebant, quod vi et armis nullo modo expugnare poterant. Dolum igitur huiusmodi excogitaverunt. Oppidanum quemdam casu domum noctu redeuntem cepērunt, quem sic statim admonuerunt: “Ad portam statim accede, et cum custodes excitaveris haec verba eis dic, ‘Adsunt mecum mercatores quidam; itinere iam fessi sunt. Si igitur portas aperueritis, hi ad deversorium se recipient, multamque pecuniam vobis dabunt.’” Hōc tamen oppidanus, qui nihil patriā antiquius habebat, facere recusavit. Milites igitur cruciatu ac supplicio eum torquere incēperunt, et, “Nisi,” exclamaverunt, “iussa sine mora feceris, te trucidābimus.” Oppidanus igitur custodes excitavit, quibus, “Adsunt,” inquit, “mecum mercatores quidam; itinere iam fessi sunt. Si igitur portas aperueritis, hi ad deversorium se recipient, multamque pecuniam vobis dabunt.” Itaque custodes portas pandunt; milites eas occupaverunt, custodes obtruncaverunt, oppidum intraverunt, omnia diripuērunt.

Frīgida vix caelo noctis decēsserat umbra
cum ros in tenerā pecorī grātissimus herbā.

PRAEFECTUS AERARIO

Ōlim erant duo homines, quorum uterque praefectus aerario fieri cupiebat. Ambō igitur ad regem se contulerunt; deinde alter, “Ō rex,” inquit, “si me aerario praefeceris, ego tibi multam pecuniam dabō.” Rex autem alteri, “Et quid tu,” inquit, “mihi dabis, si ego te praefecerō?” Cui respondit alter, “Ego tibi, ō rex, si me aerario praefeceris, nihil pecuniae quidem dabō, sed animo fideli aerarium curābō.” Eum igitur rex aerario praefecit.

EXERCITATIO

Adde verba.

1. Cum cūstōdēs (excitāre) haec verba dīc.
2. Sī igitur portās (aperīre) mercātōrēs ad dēversōrium sē recipient.
3. Nisi iussa (facere) vōs trucīdābō.
4. Sī tē aerāriō (praeficere) quid mihi dabis?
5. Sī rēx mē aerāriō (praeficere) eī pecūniam dabō.

ARS GRAMMATICA

Tempus Futūrum et perfectum

I	II	III	IV
pulsāverō	sēderō	surrēxerō	aperuerō
pulsāveris	etc.	etc.	etc.
pulsāverit			
pulsāverimus			
pulsāveritis			
pulsāverint			

XV

ITER ĀERIUM

Daedalus. Ecce, pennās perfēcī bīnās. Tū, fili, aptā meās
meīs umerīs, et ego tuīs tuās aptābō.


Icarus. Sed ubi est cēra?

Daedalus. Humī est, prope ipsās pennās.

Icarus. Sed sine ignī cēram liquefacere nōn poterō.

Daedalus. Ō mē immemorem! Domī ignem reliquī. Redīte,
servī, domum et afferte ignem.

Icarus. Affixae sunt pennae. Nunc sum volātūrus.



Daedalus. Nōlī, Īcare, sōlī appropinquāre. Sī altius volāveris, cēra fortāsse liquēscet, et tū cadēs. Volā ad orientem.

Īcarus. Ut grātum est volāre! Quae est urbs illa, mī pater?

Daedalus. Ephesus est. Ephesī est templum Diānae. Ephesum iam advēnimus. Nunc Ephesō abīmus et Mīlētum prōcēdimus. Mīlētī habitant philosophī. Nunc volā ad occidentem.

Īcarus. Ō pater, pater, quam pulchra urbs! Dīc mihi nōmen.

Daedalus. Corinthus est. Corinthī hominēs fabricant aera. Nōn longē abest Sparta. Spartae sunt fortissimī militēs. Nunc multa mīlia passuum volābimus ad occidentem. Hīc vidēs Tarentum. Tarentī nēmō māgnī mōmentī habitat. Nunc Brundisium īmus. Neque Brundisiī habitant clārissimī. Sed portus est celeberrimus. Iterum ad occidentem tē verte.


Icarus. Ecce, pater, urbs māxima. Rōma est. Rōmae habitat Titus, quī artem grammaticam nōn amat. Fortāsse nunc dē cāsū locātīvō recitat —Ephesī, Corinthī, Tarentī, Brundisiī, Rōmae, humī, domī. Ō puerum miserrimum! Doleō quod iter āerium nōbīscum nōn facit. Ō pater cārissime, nōne licet dēscendere et Titum quaerere? Ut gaudēbit nōbīscum volāns!

Daedalus. Sed nūllās habet pennās; volāre nōn poterit.

Īcarus. Quid autem ad rem? Est enim eī māgna aquila quam mānsuēfēcit. Aquilae īnsidēs cursum nostrum aequāre poterit.

Daedalus. Dēscendēmus igitur, et Titus nōbīscum volābit.
[*Villae Titī appropinquant.*]

Īcarus [*per fenestram vocāns*]. Tite, Tite! Hūc, hūc venī. Artem grammaticam iam relinque! Īnsidē



ATHĒNAE

aquilae quam mānsuēfēcistī; aquila tē per aurās
portābit dum nōs volāmus.

Titus. Quis vocat? Num somniō?

Īcarus. Nōn est somnium, Tite. Statim tē parā. Nō-
bīscum volābis.

Titus [*aquilae insidēns*]. Euge, euge! Ego veniam. Caelum
ascende, aquila, et volā cum Īcarō Daedalōque.

Daedalus. Collum aquilae dīligerter retinē, Tite; celeriter
volātūrī sumus. Iam Rōmam relinquimus.
Rēctō cursū ad merīdiem contendimus. Ecce!
Carthāgō nōbīs patet.

Titus. Quam pulchra est urbs! Quis hīc habitat?

Daedalus. Carthāginī habitābat Dīdō rēgīna, quae hospitīō
excēpit Aenēān, quī Trōiā effūgit. Gādēs ta-
men nunc oportet nōs contendere.

Īcarus. Quid Gādibus est, mī pater, quod oportet nōs
vidēre?

Daedalus. Gādibus stant columnae Herculis; est quoque
hortus Hesperidum, ubi serpēs aurea pōma
cūstōdit.

Titus. Ō Daedale, quam māximē cupiō Athēnās vidēre;
Athēnīs sunt templa māgnifica. Nōnne licet ad
orientem redīre? nōn longum est iter volantibus.
Nōlī, sōdēs, recūsāre.

Daedalus. Nōn recūsābō. Verte tē ad orientem, Īcare. Titus
volt Athēnās vidēre.

EXERCITATIO

Ante verbum *videō* (vel *audiō*) aut dīcite aut scrībite haec:
īnsula incōgnita; avēs in āēre volant; mōnstra lītorī appropin-
quant; balaenae māgnae; hominēs natāre temptant; abiēs
pulcherrima, pōpulus pulcherrima; arbōs parturit; silvae
frondent; annus fōrmōsus; sāga quaedam; sāga scōpīs īnsi-

dēns ad casam volat; mōnstrum balaenās fugat; balaenae mōnstrum fugiunt; terna ōra; oculi dēnī; anguēs ōra lambunt; mōns altissimus; cervus in monte stat; rapidus torrēns sternit agrōs; mare aestuat; manūs tremunt; genua tremunt; speciēs pallida; magister sapiēns; mīlitēs oppidum obsident.

XVI

DIALOGUS DĒ VŌCE PASSIVĀ

- M.* Canis mē mordet. Ā cane mordeor. Ā quō mordeor?
D. Ā cane mordēris.
M. Canis fēlem mordet. Ā quō mordētur fēlēs?
D. Ā cane mordētur fēlēs.
M. Canis rabidus nōs mordet. Ā quō mordēmur?
D. Ā cane rabidō mordēmur.
M. Vōs mordet canis. Ā quō mordēmini?
D. Ā cane mordēmur.
M. Canis mīlitēs mordet. Ā quō mordentur mīlitēs?
D. Ā cane mordentur mīlitēs.
M. Canem interficiam. Ā quō interficiētur canis?
D. Ā tē interficiētur canis.
M. Ā quō nōn iterum mordēbor?
D. Ā cane nōn iterum mordēberis.
M. Dominus canem frūstrā quaeret. Ā quō canis frūstrā quaerētur?
D. Ā dominō canis frūstrā quaerētur.
M. Ubi sepeliētur canis?
D. In hortō sepeliētur canis.
M. Ā quibus fossa fodiēbātur?
D. Ā nōbīs fossa fodiēbātur.
M. Quis cūstōdiet ipsōs cūstōdēs?
D. Ā nūllō cūstōdēs cūstōdientur.

M. Nunc librōs claudite et sine librīs respondēre cōnāminī.

D. Librōs claudimus et sine librīs respondēre cōnābimur.

Magister iterum eadem interrogat; deinde discipulus quidam partes magistri agit, et omnes iterum respondent, primo cum libris deinde sine libris.

ARS GRAMMATICA

Vōx Passīva

Tempus praesēns, et tempus futūrum, et tempus imperfectum passīvae vōcis hunc in modum ā vōce āctīvā facile dūcēs:

<i>Singulāriter</i>	<i>Vōx Āctīva</i>	<i>Vōx Passīva</i>
<i>Prīma persōna</i>	–ō <i>vel</i> –m	–r
<i>Secunda</i> ,,	–s†	–ris†
<i>Tertia</i> ,,	–t	–tur
<i>Plūrāliter</i>		
<i>Prīma persōna</i>	–mus	–mur
<i>Secunda</i> ,,	–tis	–minī
<i>Tertia</i> ,,	–nt	–ntur

† –is in tempore futūrō cōniugātiōnis prīmae et secundae et in tempore praesentī tertiae cōniugātiōnis fit –eris in vōce passīvā.

Exemplī causā:

<i>Tempus Praesēns</i>	<i>Tempus Futūrum</i>	<i>Tempus Imperfectum</i>
pulsor	docēbor	aperiēbar
pulsāris	docēberis	aperiēbāris
pulsātur	docēbitur	aperiēbātur
pulsāmur	docēbimur	aperiēbāmur
pulsāminī	docēbiminī	aperiēbāminī
pulsantur	docēbuntur	aperiēbantur

Similiter

audior	regar	pulsābar
audīris	regēris	pulsābāris
etc.	etc.	etc.

EXERCITATIONES

Aut dīcite aut scribite passivē:

A.

1. Gallus sacerdotem excitat.
2. Mūs frumentum cōsumēbat.
3. Canis nōs nōn terrēbit.
4. Magister vōs docet.
5. Militēs patriam dēfendent.
6. Puella bovem mulgēbit.
7. Agricola hordea sulcīs mandat.
8. Māter nōs amat.
9. Pater vōs pulsābit.
10. Mārcus ōva pūtida iaciēbat.

B.

1. Magister porcum comprehendēbat.
2. Physiōgnōmōn nōs spectābit.
3. Fenestram frangitis.
4. Bōs cornū vōs petet.
5. Pater mē pulsat.
6. Magister tē docēbit.
7. Ōva pūtida iacimus.
8. Titus artem grammaticam neglegēbat
9. Aquila Titum portat.
10. Quis vōs docet?

XVII

PISCĀTŌRĒS

Piscātor prīmus. Quot piscēs ā tē captī sunt, amīce?

Piscātor alter (*quī rē vērā nūllōs cēpit*). Nōndum numerāvī meōs. Quot ā tē sunt captī?

P. prīmus. Neque ā mē numerātī sunt meī, sed multōs cēpī, duodecim ut putō.

[*Piscātor alter decem piscēs ab amīcō fūrtim aufert.*]

P. alter. Num ā tē victus sum? Vīx crēdere possum. Sed piscēs numerābimus. Cum numerātī erunt, intellegēmus.

[*Uterque suōs piscēs numerat.*]

P. prīmus. Duo modo invenīre possum. Reliquī ablātī sunt, nām plūrēs scīlicet ā mē captī erant.

P. alter. Mentītus es, abōminande. Duo modo piscēs ā tē captī erant, sed dīxistī duodecim. Piscātōrēs glōriārī solent, et tū glōriātus es. Nōn iam ā mē comitāberis. Mendācem ōdī. Decem piscēs, quī ā mē captī sunt, domum adferam et coquam.

P. prīmus. Rem intellegere nōn possum. Plūrēs piscēs ā mē erant captī quam in lintre inventī sunt....

P. alter. Benīgnē tē ūtar. Cum piscēs meī coctī erunt ad cēnam venīre tibi quoque licēbit.

P. prīmus. Grātiās tibi agō. Laetus veniam. Benīgnissimus sānē es.

P. alter. Nōlī ita dīcere. Inter amīcōs commūnia dēbent esse omnia.

ARS GRAMMATICA

Vox Passiva

Tempus perfectum, et tempus futurum et perfectum, et tempus plusquam perfectum vocis passivae facile ducēs, si participiō perfectō cuiusque verbī addideris praesēns aut futurum aut imperfectum tempus verbī *sum*. Exempli causā:

<i>Tempus Perfectum</i>	<i>Tempus Futurum et perfectum</i>	<i>Tempus Plusquam perfectum</i>
pulsātus sum	doctus erō	apertus eram
„ es	„ eris	„ erās
„ est	„ erit	„ erat
<i>Similiter</i>		
doctus sum	interfectus erō	morsus eram
etc.	etc.	etc.

Modus Imperativus

Fōrma modī imperatīvī vocis passivae est singulāriter eadem quae fōrma infīnitīvī praesentis in vōce āctīvā. Exemplī causā:

	I	II	III	IV
<i>Infīnitīvus praesēns</i>	pulsāre	docēre	regere	aperīre
<i>Vōcis āctivae</i>				
<i>Imperatīvus modus</i>	pulsāre	docēre	regere	aperīre
<i>Vōcis passivae</i>				

Secunda persōna plūrāliter est idem quod secunda persōna praesentis temporis indicatīvī: e.g.

pulsāminī docēminī regiminī aperīminī

B. *Vōx Passīva*

Quid indicant eīdem numerī in vōce passīvā?

Tempus praesēns	Futūrum	Imperfectum	Per- fectum	Plūsquam perf.	Fut. et perf.
XVI	XI	VII	IIII	II	I
XXII	XVII	XII	VIII	V	III
XXVII	XXIII	XVIII	XIII	VIIII	VI
XXXI	XXVIII	XXIIII	XVIIII	XIIII	X
XXXIIII	XXXII	XXVIIII	XXV	XX	XV
XXXVI	XXXV	XXXIII	XXX	XXVI	XXI

Exemplum

Sī vōx est passīva, verbum “monēre,” quid indicat numerus vīcēsīmus? Respōnsum “monitī erātis.”

EXERCITATIO

1. Sī vōx est passīva, verbum “audīre,” quid indicat numerus prīmus, tertius, decimus, vīcēsīmus prīmus, trīcēsīmus?

2. Sī vōx est āctīva, verbum “claudere,” quid indicat numerus secundus, quārtus, duodecimus, duodēvīcēsīmus, trīcēsīmus tertius?

EXERCITATIO

Servus mē vocāvit (āctīvē).

Ego ā servō vocātus sum (passīvē).

Verte passīvē:

1. Magister Titum verberat.
2. Magister Titum verberābit.
3. Magister Titum verberāvit.

4. Titus rēs grammaticās nōn amat.
5. Titus rēs grammaticās nōn amābat.
6. Titus rēs grammaticās nōn amāverat.
7. Piscātor multōs piscēs capit.
8. Piscātor multōs piscēs cēperit.

Verte āctīvē:

1. Decem piscēs ā piscātōre sunt captī.
2. Decem piscēs ā piscātōre capiuntur.
3. Decem piscēs ā piscātōre capiēbantur.
4. Magister ā nōbis nōn amātur.
5. Magister ā mē nōn amābātur.
6. Caesar ā vōbīs interfectus est.
7. Ego ā vōbīs rēx factus sum.
8. Magister ā tē spectātus erit.

XVIII

MANCIPIŌRUM AUCTIONE

Mangō. Tū mancipia dispōne, et suō quemque in ordine collocā; pedēsque gypsō obline; sic vēnālēs esse vidēbuntur, ēmptōrēsque quam plūrimōs allicient. Nunc praecōnium fac, et iubē ēmptōrēs iam adesse ad forum.

Praecō. Hūc, hūc advenīte ēmptōrēs! Optimī vēneunt servī. Quis licēbitur? Sī quis praesentem pecūniam numerāre nōn potest, pignus dare et proximō annō solvere licet.

Mangō. Multī conveniunt; itaque nihil cūctandum est. Vēndēmus ergō.

Praecō. Quem primum prōdūcēmus?

- Mangō.* Comātum hunc lūdī magistrum; etenim honestus vidētur esse.
- Praecō.* Heus tū, doctissime, catastam ascende; oculīs omnium tē mōnstrā.
- Mangō.* Iam fac praecōnium.
- Praecō.* Optimum mancipium vēnumdō, doctissimum; quis emet? quis sapientissimus post hominum memoriam fierī volt? quis omnia nōsse et doctum sē praeberē?
- Ēmptor quīdam.* Speciē quidem vidētur foedissimā! Ostende mihi titulum, quī vitia ēius, sī quae habet, dēscribit. Deōs immortālēs! octō dentēs dēsunt, alterō oculō captus, alterō lippus, alterō pede claudus, gibber, distortīs crūribus, vārus...
- Praecō (interpellāns).* Quid tamen ad rem membrōrum dēbilitās? mentis vērō aciē sī quis alius praeditus est.
- Ēmptor.* Nōn placet mihi; prōverbii meminī, “mēns sāna in corpore sānō.” Sed quid potissimum nōvit?
- Praecō.* Arithmēticam, astronomiam, geōmetriam, mūsicam, omnēs auctōrēs et historiās, nūtricem Anchisae, nōmen et patriam novercae Anchemolī, omnia dē longā vitā Acestae, dē numerō urnārum vīnī quās Ēvander Phrygibus dōnāvit...
- Ēmptor.* Satis nūgārum! Licetne interrogāre hominem?
- Praecō.* Interrogā. Doctissimum inveniēs.
- Ēmptor.* Cūiās es?
- Lūdī magister.* Samius.
- Ēmptor.* Ubi institūtus es?
- Lūdī magister.* In Aegyptō, apud sapientēs quī ibi sunt.

- Ēmptor.* Age, sī tē ēmerō, quid mē docēbis?
- Lūdī magister.* Equidem docēbō tē nihil, sed in memoriam tibi revocābō.
- Ēmptor.* Quōmodo?
- Lūdī magister.* Pūrgābō prius animam, et sordēs illius ēluam.
- Ēmptor.* Sed quōmodo in memoriam revocābis?
- Lūdī magister.* Primum quidem opus erit longā quiēte et silentiō et quīnque integrīs annīs nihil quidquam loquī.
- Ēmptor.* Ego tamen loquāx esse volō, nōn statua. Sed quid post silentium et post quīnquennium fiet?
- Lūdī magister.* Postea vērō, hospes, sciēs dē terrā, et āēre, et aquā, et ignī, et fōrmīs eōrum...
- Ēmptor.* Fōrmam igitur habet ignis, et āēr, et aqua?
- Lūdī magister.* Et māximē quidem manifestam, neque enim sine fōrmā possunt sē movēre.
- Ēmptor.* Mīra praedīcis.
- Lūdī magister.* Praeter ea quae dicta sunt, etiam ipsum tē, quī ūnus vidēris, alium oculīs, alium rē vērā cōgnōscēs.
- Ēmptor.* Quid āis? Alius ego sum, nōn ille ipse quī nunc tēcum loquor?
- Lūdī magister.* Iam quidem hīc es; ōlim vērō in aliō corpore et sub nōmine aliō appārēbās; mox rūsus in aliud corpus et in aliud nōmen trānsībīs.
- Ēmptor.* Lepidē nārrās! Egone immortalis erō? Sed dē hīs satis; quod ad victum autem, quālis es?
- Lūdī magister.* Animantibus mē abstineō, sed omnia reliqua edō, nisi fabās.
- Ēmptor.* Cūr ā fabīs abhorrēs?
- Lūdī magister.* Nōn abhorreō, sed sacrae sunt et mīra eārum nātūra.

- Ēmptor.* Ut mīra nārrās! Quantī illum vēndēs?
Praecō. Decem minīs.
Ēmptor. Meus est, tantī ēmptus.
Praecō. Heus tū! nunc tibi quoque ascendendum est
Nōnne vērē sapiēns vidētur esse?
Ēmptor. Turpissimō saltem est aspectū, ut decet sapi-
entem. Sed quid scīs facere? Quās artēs
ēdoctus es?
Medicus. Morbōs sānāre sciō.
Ēmptor. Quālēs morbōs?
Medicus. Febrēs, podagram, gravēdinem, dolōrēs capi-
tis, dentium, ventris.
Ēmptor. Quōrum nūllum patior, neque umquam pas-
sus sum.
Medicus. Itaque frueris in corpore sānō mente in-
sānā.
Praecō. Tacē, tacē, nisi vīs verberārī. Dēscende, et
tū, quī ā tergō latēs, furcifer, ascende.
Ēmptor. Iūppiter, ut celeriter ascendit! Dī immor-
tālēs, quam artem tū ēdoctus es?
Fūnambulus. Ego sum fūnambulus; per fūnem quamvis
tenuem ambulāre possum.
Ēmptor. Sed quid ad rem? Quid ūtile facere potes?
Fūnambulus. Graecō mōre saltāre possum docēre liberōs
tuōs et trochō lūdere.
Ēmptor. Bene, optime! Ego tē emam. Liberī enim
meī tempus mihi semper terunt iubentēs
mē sēcum lūdere. Nunc nōn diūtius tem-
pus nēquīquam cōsūmam. Dabō tibi,
praecō, mille dēnāriōs. Num satis?
Praecō. Satis. Accipe, sed ūtere eō benignē.

EXERCITATIO

Aut dīcite aut scribite passivē:

1. Ēmptor lūdī magistrum spectāvit.
2. Magister puellās nōn docuit.
3. Mārcus pēnsū fēcerat.
4. Cūstōs nōs cūstōdīverat.
5. Quis vōs spectāvit?
6. Canis fēlem momordit.
7. Puerī manūs sustulērunt.
8. Caesar Britannōs vīcit.
9. Praecō servōs vēndidit.
10. Quis vōs docuerat?

PARS SECUNDA

ARS GRAMMATICA

PARS TERTIA

SENTENTIAE ANGLICAE

SENTENTIAE ANGLICAE

§ I.

A.

1. Marcus hits Sextus.
2. Sextus hits Marcus.
3. The master sees the boys.
4. The boys see the master.
5. The eyes of Marcus are blue.
6. Marcus closes his eyes.
7. The boy touches his nose with his finger.
8. Publius gives a book to Sextus.
9. Many boys have large feet.
10. The fingers of Publius are dirty.

B.

1. The nose smells.
2. I touch the nose.
3. The ears hear.
4. I touch the ears.
5. I smell with the nose.
6. I hear with the ears.
7. My eyes are blue.
8. I shut my eyes.
9. I see with my eyes.
10. I have dirty fingers.

C.

1. Marcus shuts his eyes and opens his mouth.
2. Food is good.
3. I like good food.

4. The fingers hold a pen.
5. I hold my pen with the fingers.
6. The master hits my fingers.
7. He gives many books to his pupils.
8. Many books are on the table.
9. The window is shut.
10. We touch the open window.

D.

1. Quintus's hair is black.
2. I touch Quintus's black hair.
3. Raise your little fingers.
4. Here are five fingers.
5. Give my book to Marcus.
6. This is my book.
7. Open the window and shut the door.
8. The door is shut and the window open.
9. The master writes on the black-board with white chalk.
10. Touch the black-board and take the chalk.

§ II.

A.

1. The boy who is writing is Marcus.
2. Whose book are you reading?
3. You are the boys whom I ought to teach.
4. Do you see the book which I am holding?
5. Take the chalk which I am holding.
6. Do you see the windows which I am opening?
7. Sextus and Marcus are pupils whose heads are large.
8. You are the boy to whom I give a book.
9. The feet are the members of the body with which we walk.
10. I see the girls who play.

B.

1. The boys who pay attention understand well.
2. The boys whom I teach understand well.
3. We see the master who teaches us.
4. Marcus is a pupil whose master is kind.
5. Do you see the boy to whom the master is giving the chalk?
6. The nose is the member of the body with which we smell.
7. The eyes are the members of the body with which we see.
8. The ears are the members of the body with which we hear.
9. Whose hair is black?
10. The girls whose books I see are playing.

C.

1. Boys whose feet are large can run well.
2. The boy who is shutting the door is Marcus.
3. The boy whom I touch is Sextus.
4. The boy whose head I touch is Publius.
5. The boy to whom I give a book is Quintus.
6. The boys who are playing are Marcus and Publius.
7. The boys whom I teach pay attention.
8. The boys whose books I am collecting are my pupils.
9. The boys to whom I distribute paper are my pupils.
10. Open the window which you see.

D.

1. This is the book which I am writing.
2. These are the boys who are playing.
3. These are the boys whom I teach.
4. Where are the windows which we ought to open?
5. Which is the door which we ought to open?

6. This is the boy whose master I see.
7. Take the books which I hold.
8. Take the chalk which I hold.
9. The teeth are the instruments with which we bite food.
10. A pen is that with which we write.

§ III.

A.

1. Marcus is fatter than Sextus.
2. Sextus is thinner than Marcus.
3. I am wiser than you.
4. You are more stupid than I.
5. Boys are braver than girls.
6. My uncle is wiser than your father.
7. Your father is more stupid than my uncle.
8. The mind is better than the body.
9. Latin is more difficult than French.
10. French is easier than Latin.

B.

1. Sextus is taller than Quintus.
2. Quintus is taller than Marcus.
3. We are wiser than you (*plural*).
4. You are more stupid than we.
5. Who is braver than my father?
6. Who is wiser than my uncle?
7. One is braver than another.
8. The boy is bolder than a soldier.
9. My brother is bolder than your uncle.
10. Brothers are better than sisters.

C.

1. Do you see the boy who is taller than Sextus?
2. Who is wiser than the boy to whom I give the book?
3. Your pupils are wiser than the boys whom I teach.
4. He is braver than the boy whose father is a soldier.
5. The boys who are playing are happier than those who are writing.
6. These boys are fatter than those who eat much.
7. Who is braver than the soldier who defends his country?
8. Who is wiser than the pupils whom the master teaches?
9. Can you see a boy who is fatter than Marcus?
10. These windows are larger than those which you are opening.

D.

1. This pupil is wiser than the one whom you teach.
2. Who is wiser than the boy who understands Greek?
3. Sextus is wiser than the boys whose books I collect.
4. They are braver than the soldiers whom I see.
5. This is sharper than the teeth with which we bite.
6. You are sadder than the pupils to whom I give books.
7. Who is taller than Atlas who carries the sky on his shoulders?
8. Marcus is wiser than the boy whose riddle he solves.
9. No one is braver than soldiers who fight.
10. The girls whom mother teaches are wiser than the boys whom you teach.

§ IV.

A.

1. Look at the boys playing in the garden.
2. We see the soldier fighting against the enemies of the Romans.
3. He wounds the enemy with his sword and javelin.

4. This is a helmet covering the soldier's head.
5. Lift the helmet covering the soldier's head.
6. Here is a breast-plate protecting the soldier's chest.
7. Touch the breast-plate protecting the soldier's chest.
8. These are shorts covering the soldier's legs.
9. Do you see the shorts covering the soldier's legs?
10. I see the soldiers fighting for their country.

B.

1. Here are boots covering the soldier's feet.
2. Look at the boots covering the soldier's feet.
3. Here is a soldier carrying a shield.
4. We see a soldier carrying a shield.
5. Here is a soldier defending his country.
6. We see a soldier defending his country.
7. Here is a sword hanging from the soldier's belt.
8. We see the sword hanging from the soldier's belt.
9. We are boys learning Latin.
10. The master teaches the boys learning Latin.

C.

1. Who can be braver than a soldier defending his country?
2. Who can be happier than a boy learning Latin?
3. These are soldiers defending their country whose shields you see.
4. These are boys learning Latin whose voices you hear.
5. I see the boy, whom you teach, playing in the garden.
6. Listen to the pupils, whom I teach, reading aloud.
7. Do you see Marcus, whose book I hold, going home?
8. What can be more useful than a shield with which a soldier defends himself?
9. What is sharper than the sword with which the soldier wounds the enemy?
10. The master hears the boys solving riddles.

D.

1. Look at the javelins of the soldiers defending their country.
2. The master gives books to the boys learning Latin.
3. Look at the javelins of the soldiers who defend their country.
4. The master gives books to the boys who learn Latin.
5. Do you see the helmet of the soldier fighting for his country?
6. Do you see the helmet of the soldier who fights for his country?
7. Take the helmet of the soldier whom you see fighting for his country.
